XXVIII

Ficoroni

Roma 1754

9

4. 1. 156

4 G. 1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI FICORONII
DE LARVIS SCENICIS
ET FIGURIS COMICIS

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI FICORONII

REG. LOND. ACAD. SOCII

DISSERTATIO

DE LARVIS SCENICIS ET FIGURIS COMICIS

ANTIQUORUM ROMANORUM

Ex Italica in Latinam lin guam verſa.

EDITIO SECUNDA

AUCTIOR, ET EMENDATIOR.



ROMÆ, MDCCLIV.

SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI

BIBLIOPOLÆ IN VIA CURSUS.

TYPIS ANGELI ROTILII

IN ÆDIBUS MAXIMORUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ERUDITO LECTORI.

F*Ranciſcus Ficoronius Lugnanenſis toto vitæ ſuæ curriculo, qui longus admodum fuit, ad rei antiquariæ ſtudium ſtrenue quidem, totoque mentis conatu incubuit, & immenſam harum elegantiarum vim collegit, eaſque poſtea edidit pluribus voluminibus, quorum catalogus hic eſt.*

Diſſertazione ſopra una Medaglia d'Omero.

Oſſervazione al Diario Italico del P. Bernardo Montfaucon. 1709.

Lettera ſopra un Cammeo rappreſentante Marcello nipote d Auguſto. *Napoli* 1718. R*iſtampata nel* 1726.

Lettere al Cavaliere Bernard Ingleſe ſopra varie Anticaglie, *ſcritta nel* 1730.

Della Bolla d'Oro. Roma 1732.

De' Tali, e altri Strumenti luſorj degli antichi Romani. *Roma* 1735.

Le Maſchere ſceniche, e le figure comiche degli antichi Romani. *Roma* 1736.

Diſſertazione ſopra tre ſtatue trovate ne' fon-

Digitized by Google

damenti del Palazzo dell'Eminentiſſimo Signor Cardinale Gentili. Roma 1739.

I Piombi antichi. *Roma* 1740.

Veſtigie, e rarità di Roma antica. *Roma* 1744.

Memorie ritrovate nel territorio della prima, e ſeconda Città di Labico. *Roma* 1745.

Hæc omnia, ac alia nonnulla levioris momenti edidit Ficoronius Italica lingua, ſed ſtylo admodum rudi & obſcuro, & ſæpe abſque recta verborum syntaxi, præter poſtrema ejus opera, quæ ope cujuſdam amici in elegantiorem elocutionem fuerunt redacta, propter quæ tantam nominis celebritatem obſequtus eſt, quantam ejus eruditio, & antiquarum rerum non ante viſarum enarratio merebantur. Itaque pretium operis me facturum exiſtimavi, ſi interea hoc de Larvis opuſculum in Latinum verterem, atque publici juris facerem. In eo autem vertendo non ſervi pecoris, ſed fidi interpretis munus implere ſtudui, etenim quiſquilias reſecavi, & nonulla, quæ addi poterant, currente rota adjeci. Quod ſi lector eruditus hunc meum qualemcumque laborem æqui bonique faciat, alia etiam ejuſdem Auctoris opera Latine vertam in amicitiæ pignus, quæ inter me, ipſumque Ficoronium intercеſſit, qui obiit viij. Kal. Februarii CIↃIↃCCXLVII, *ætatis anno circiter* LXXXIII.

AD

AD ROMAM

IN HONOREM PRÆCLARISSIMI VIRI

D. FRANCISCI FICORONII

DE OMNI RE ANTIQUARIA OPTIME MERITI

Qui, quotquot omnes potuit venerandæ Vetuſtatis reliquias quinquaginta fere annorum ſpatio incredibili labore, & auri profuſione non modica comparare, in ſuam congeſſit domum miro litterariæ Reipublicæ emolumento

IGNATII MARIÆ COMI NEAPOLITANI

ELEGIA.

POne modum lacrymis, juſto da frœna dolori,
  Terrarum ſemper Dardana Roma caput.
Deſine te longis merſam deflere ruinis,
  Sitque ſatis propriis ingemuiſſe malis.
Aſperet haud frontem tibi ruga, ſed indue vultum,
  Quem tibi non pauci reſtituiſſe parant,
Qui famæ monumenta tuæ, laudemque vetuſtæ
  Virtutis, priſcæ Nobilitatis opes,
Semper victuris decertant condere chartis,
  Et dant uſuram lucis habere novæ.
Hos inter nitet ille tui ſtudioſus, avitum
  Qui tibi Palladiâ vindicat arte decus.
Quis tamen hic Heros? cui tanta potentia? debes
  Cui tu, Roma, jubar jam rediviva tuum?
Si quis adhuc ignarus, eum Fama inſtrue, quando
  Temporis interea me ſiluiſſe juvat.
Ille mihi longo cum vinctus amore putetur
  A cunctis animæ pars, meliorque meæ.

Quam

Digitized by Google

Quam vereor, nedum meritis hunc laudibus orno,
Inveniant nullam carmina noſtra fidem.
Ficoroniadi Francisco plaudere tentem?
Eſt humeris impar ſarcina tanta meis.
Franciſcum dixti? nihil addas, aurea Clio,
Hoc nomen quovis celſius elogio.
Illius hoc nomen, caderet dum matris ab alvo
Quem putri excepit ſqualida Roma ſitu.
Illius hoc nomen, cujus grandæva Vetuſtas
Admovit teneris ubera jam labiis.
Hic ille eſt Heros, qui ſeclis omnibus ortus,
Auras illorum pectore ſpirat adhuc.
Quem Syrius, quem Jeſſæus, quem Coptus, Achivus,
Nec non vicino ſole peruſtus Arabs:
Punicus, Illyricus proprio ſermone loquentem
Mirantur, **Teutho**, **Celta**, **Britannus**, Iber
Ficoroniades Trojano audentior illo,
Quem jactat primum Roma vetuſta patrem.
Filius ille Deæ quamvis penetrare profundum
Cumaná potuit nonniſi Vate duce.
Hic unus fidens animi, ſibi conſcius unus
Intulit audacem per loca cæca pedem.
Et quas ſignarunt veſtigia nulla priorum,
Hic potuit felix ire, redire vias:
Theſea jam poſthac ne tantum Græcia jactet,
Alciden tenebris occulat ipſa ſuis.
Illos nempe auſos penetrare abſcondita terræ,
Nonniſi mendaci carmine fama canit.
Hic unus tandem ſerà hac ætate repertus,
Quem ſtupeat præſens, quemque futura, virum,
Cui libeat penetrare chaos, cui ſumma poteſtas,
Semper inoffenſo vel rediiſſe pede.

Quæ

Quæ potuit luſtrare latens ſub nocte profunda,
In medium profert ſedulus uſque diem.
Dum monumenta virum,dum tot monumenta Deorũ,
Perdere quæ potuit barbara ſorte manus,
Vel quæ dente ſuo protrivit hiulca Vetuſtas,
Reſtituit vitæ dextera ſola novæ.
Sorte etiam meliore olim quæ ſparſa per Urbem,
Exhibet en cunctis una videnda Domus.
Exibet hæc urnas, quæ verba noviſſima flentum
Audierant, lacrymas queis pia turba dedit:
Exibet hæc pariter lacrymarum vaſa, lucernas,
Ardere æterno quæ velut igne ſolent.
Ollaque non una occurrit cineraria, quodque
Credebant manes poſſe juvare ſuos.
Hinc mordere ſolet, quę ſummam fibula veſtem,
Quæque addit digitis gemma coruſca decus.
Hinc gravidæ ſeſe objiciunt dodrante bilances,
Hinc cryſtalla ſuis ſæpe animata notis.
Aurea quin etiam puerorum Bulla, fritillo
Non uno Talus ludicra bella ciens:
Hinc tot Larvarum ſpecies, quas orgia Bacchi,
Quas plauſu excipiunt ampla theatra novo.
Mimus & hinc ridens, ſed & hiſtrio plurimus illinc
Oſtentant tunicas nunc mihi quiſque ſuas.
Etruſcæ hinc teſtæ, ſacrorum hinc vaſa, vetuſtas
Quæ propriis voluit ſigna dicata Diis.
Plurima Cæſareis certantia vultibus æra,
Plurima quæ ceras priſca ſigilla premunt:
Antiqui hinc lateres, inſcriptaque carmine ſaxa,
Hinc anaglypha, illinc me diaglypha trahunt.
Rudera quanta, velut Reginæ annoſa ſupellex,
Urbis Theſauri ſemper habenda loco.

Sudo-

Digitized by Google

Sudore & multa trieteride, & ære parata,
O quantum priſcæ Religionis habent.
Roma vetuſta, recens tectum conceſſit in unum
Franciſcus calamo dat radiare ſuo.
Ergo illi plaudat male contumulata vetuſtas,
Urbis & ergo illi plaudat imago novæ.
Hæc rogo pro noſtro ſint Ficoronide, quamvis
Sint longe meritis inferiora ſuis.
Semicremis video Latium, quas protulit olim
Illuſtres animas, ore levare rogis;
Vindici, & ipſe ſuo dum plaudere niterer, illi
Dicere quæ poſſem, dulciter inſinuat.
Quæ vero inſinuant, nec ſi pater almus Apollo
Nunc mea concuteret corda, referre queam.
Tam vaſtaillorum moles pene obruor, ergo
Quod nequeo, tacita Religione colam.
Ad te, qui redeam, vix agnoſcenda ruinis
Septeni ſpatium Roma vetuſta jugi,
Quæ dare jam Mundo potuiſti jura ſubacto
Æquans imperio Solis utrumque latus.
Ut te cognoſcas, qualis, vel quanta fuiſti,
Et quæ ſub ſacro Murice ſemper eris.
Ne te, ne poſthac alibi diſquirere cures,
Franciſci ſpectes ſi modo tecta, ſat eſt.
Te nempe invenies, circumſpice, ſemper in illis:
Totius ſpecimen dat Domus illa tui.
Noſtrorum tamen hoc ſeries ventura nepotum,
Et quo mox greſſus tendere docta ſciat.
In foribus tu, fama, notas inſcribe loquaces
Urbem Orbis dominam continet una Domus.

Digitized by Google

LECTORI ERUDITO.

INter nonnullas Larvas, quas hic adducimus, inveniet facili negotio multas Lector non admodum inter ſe diſſimiles, & fortaſſe arbitrabitur has non multum difformes omitti potuiſſe, quod majoris pretii reddidiſſet ceteras. Hoc mihi etiam in mentem venerat, ſed nimis ſero. Nam ſtatim ac ad manus hæc Larvæ mihi venerunt, eas ære incidi diligenter curaveram; ita factum eſt, ut poſt annorum lapſus intellexerim, me aliquas collegiſſe omnino ſimiles, ſed cum inciſæ forent inter alias Larvas, quæ minime tollendæ erant; opus fuit, ut eæ quoque remanerent, ideoque bis in hoc opere cernuntur. Et iterum novas Tabulas, novumque impendium facere non erat mearum virium, meæque tenuitatis. Poteſt tamen Lector prætergredi explicationes harum Larvarum, & ut ait Martialis, librum non nimis longum breviorem etiam facere.

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarch. Conſtant. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici.

Digitized by Google

DE LARVIS SCENICIS
ET FIGURIS COMICIS
DISSERTATIO.

MULTA præclara ingenia fuerunt, quæ quum intelligerent, quantum luminis ad hiſtoriam temporum afferrent diſperſa, ac diruta, & ſitu pene obruta antiqua monumenta, & ea diligenter inquiſierunt, & in unum collecta publici juris fecerunt, quamplurimis voluminibus omni commendatione dignis, quemadmodum ſunt tot Signorum, Inſcriptionum, Toreumatum, Gemmarumque inciſarum, Nummorum Conſularium, & Imperialium collectiones, ac tandem innumera alia monumenta, quæ literatorum hominum curioſitatem alliciunt, & augent eruditionem. His itaque illectus, & doctorum hominum elegantiam admiratus, & ab illis multa edoctus ad hoc ſtudium aggrediendum animum

Digitized by Google

appuli. Hinc etiam monumenta vetera, quantum a curta mea ſupellectili conceſſum fuit, colligens animadverti, multa ex illis Larvas repræſentare, comicaſque perſonas, vel in Toreumatis, vel in Gemmis inciſis, vel alio quovis modo; quæ cum mihi viderentur, & multum curioſitatis, & multum pretii in ſe habere, ob egregiam tum Græcam, tum Latinam artem, qua elaboratæ erant, & ob varias formas, & præcipue quod lumen afferrent antiquis ſcriptoribus, ad fabulas ſeu comicas, ſeu tragicas enarrandas; cœpi jamdiu præcipua cura has Larvas colligere, perſonaſque comicas tam in Toreumatis, & Gemmis, quam ære expreſſas, quarum brevi quinquaginta earum collegi. Quum autem nemo de his ſcripſerit præter Mariſcottum, qui nullam adfert larvarum delineationem, ſtatui, veluti qui ſpicas, quæ manus meſſorum effugerunt, colligunt, quinquaginta illas Larvas, perſonaſque theatrales ſimul cum illis, quæ in Terentiano Codice perantiquo Bibliothecæ Vaticanæ depictæ extant, in lucem edere. Annuente igitur Clemente XI. Pontifice Maximo ad Bibliothecam acceſſi cum artifice delineandi perito; ſed præter ſpem inveni Larvas, perſonaſque comicas hujus Terentiani Codicis ipſiſſimas eſſe cum quinquaginta illis prototypis, quod penes me habebam. Quapropter hoc rejecto conſilio illas non amplius delineare curavi, ſed quantum potui ſategi alias & alias differentes Larvas, perſonaſque comicas mihi comparare, quarum quadringentas longo annorum ſpatio cum inſcriptionibus nonnullis ad comicos ſpectantes comparatas, in hanc meam opellam conferam, non ut eas, qua par eſſet, eruditione exornem, tanti enim non ſum, ſed ut illas ob oculos eruditorum ponam; quare eas ex archetypis accurate delineandas curavi, nonnullaſque majore forma.

De origine, uſuque Larvarum hoc loco pertractare minime decrevi, hæc enim materies, quamvis a multis tentata, attamen adhuc eſt nobis parum nota. Si Poetis credamus, Poeſis in pagis orta eſt, ac diu inter agricolas vixit, riſuſque, luſuſque eam comitabantur, cauſam præbente talium homi-

hominum vita laborioſa quidem, ſed innocente , & quæ idcirco vera hilaritate magis egeret , ejuſque capax eſſet , quapropter Lucretius [a] loquens de antiquis agricolis inquit :

Sæpe itaque inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquæ rivum , ſub ramis arboris altæ ,
Non magnis opibus jucunde corpore habebant .
Tum joca , tum ſermo , tum dulces eſſe cachinni
Conſuerunt , agreſtis enim tum muſa vigebat .

Hæc hilaritas in uſu maxime fuit penes Atticæ colonos in vindemiarum fine , grati animi ergo adverſus Bacchum , cui vini copiam acceptam referebant . Hic uſus annorum lapſu in morem tranſiit , & tam bene exceptus fuit , ut e Græcia in Italiam transfretaret . [b] Ita Virgilius :

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur , & veteres ineunt proſcenia ludi
Præmiaque ingentes pagos , & compita circum
Theſeidæ poſuere , atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres ,
Nec non Auſonii Troja gens miſſa coloni
Verſibus incomptis ludunt , riſuque ſoluto ,
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis ,
Et te , Bacche , vocant per carmina læta , tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu ,

Hæc incompta carmina , ſi Servio credimus , auribus potius , quam regulis artis callebant , ac ex illis paganis cœtibus fuere prima tabularum , ac etiam Larvarum rudimenta ex illis corticibus arborum , quos agricolæ ori ſuo admovebant , & illa Βαφὴ , ſeu , ut ait Horatius [c] , perunctio, qua ora fæcibus linibant . *Primi ludi theatrales*, inquit Servius , *ex Liberalibus nati ſunt* . Quoniam ex agris ad urbes Liberi celebritates translatæ , Martio quidem menſe , ſecundum Maffeii [d] opinionem, factum eſt, ut eo tempore ludi theatrales haberi cœperint , ſed aliquantum elegantiores . Rudium hujuſmodi ſcenicorum ludorum originem , & tragœ-

a *Lucr. l. 5. v.1391.*
b *Georg. 2. v. 380.*
c *Horat. in Art. Poet. v. 277.*
d *Maffeus de gemmis to.2.pag. 64.*

Digitized by Google

gœdiæ nomen e Bacchanalibus derivaſſe, etiam ex eo, quod Donatus [a] dicit, aperte dignoſcitur: *Genus carminis quod ſacer Chorus reddebat Libero patri, tragœdia dicebatur, vel ἀπὸ τοῦ τράγου, hoc eſt ab hirco hoſte vinearum &c. vel quod hirco donabatur ejus carminis poeta, vel quod uter muſti plenus ſolemne præmium cantoribus fuerat, vel quod ora ſua fæcibus perlinibant*. Quiſnam ex humili haſce cantiones evehexerit gradu prior, & hac de cauſa tragœdiæ inventoris nomen meruerit, adfirmare levis momenti non eſt. Lambinus [b] in notis ad Horatium ita teſtatur: *Theſpin alii primum tragicum dicunt; alii ab Epigene ſecundum, alii decimumſextum*. Cheritum Athenienſem tale auſum fuiſſe, & Larvas ſcenaſque inter omnes primum meditaſſe Suidas [c] refert, etſi alibi Larvarum auctorem Theſpin fateatur; inquit enim: *Poſtquam is ab initio vultum minio inunxiſſet, dein portulaca texiſſet &c.* Hac non eſſe Theſpin gloria privandum, ſeu ſaltem de Tragœdia optime meritum exiſtimandum Horatius in Arte poetica cenſet, ac tragœdiam illius ope e ſolo ad plauſtra gradum feciſſe, quemadmodum Bacchanaliorum tempore quædam comœdiæ, ut ſic dicam, ambulantes ſuper plauſtra repræſentantur nunc quoque Romæ, quibus *Giudiate* nomen, quod inter ceteros Actores Judæus cum Judæa in illas inducatur:

[d] *Ignotum tragicæ genus invexiſſe Camœnæ*
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.
Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ
Æſchilus, & modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Id quod de Æſchilo dicit Horatius, & quod hic elegantiorum, ornatiorumque Larvarum, ſicut, & in agendis comœdiis talaris veſtis, ſeu pallæ fuerit inventor, teſtimonio, quod de Theſpi præbet Suidas, non adverſatur. Ariſtoteles ta-

a *Donatus in vita Terentii.*
b *Lamb. in artem Poetic. Hor. v. 276.*
c *Suidas apud Priſcum.*
d *Horatius ubi ſupra.*

Digitized by Google

tamen nunquam de larvis locutus eſt in Arte poetica ; ſi tamen illi tractatio integra eſt . Comœdiæ primordia eadem ferme fuere , Græcorum pariter inventum , eæ enim ſeu ortæ in Apollinis feſtivitatibus inter concentus & convivia , circa rura , & agros celebrata , ſeu inter juveniles cantiones quidem , in pagis atque ruribus ; inquit enim Ariſtoteles in Arte poetica : Megarenſes tam Atticæ , quam Siciliæ incolas inventionem ſibi vindicaſſe comœdiæ . Romæ vero Larvarum uſus in ſcenis non ſtatim a principio invaluiſſe , & earum loco galerus adhibitus videtur : Romæ *ante Livium Andronicum* inquit Pitiſcus , *galeris non perſonis utebantur* . Roſcius Gallus perſona [a] princeps uſus eſt , *Cum eſſet oculis perverſis nec ſatis decorus in perſonis , niſi paraſitos pronunciaret* . Secundum autem Diomedis ſententiam : *Perſonati primi egere comœdiam Cincius & Faliſcus* ; *Tragœdiam Minutius & Prothonius* , *auctore Donato* . Larvæ tamen non tantum ad faciei dedecora tegenda adhibitæ , quemadmodum in Roſcio oculos perverſos , ſed potius ad auditorum oblectamentum , vel ob quamdam ingenii libidinem , qua fit , ut qui perſonatum aſpiciunt, terribiliorem , ſeu magis ridicularium , quam revera ſit , ſpecie decepti , ſed mente errorem oculorum percipientes , magnam ex eo capiant voluptatem . Eò amplius quod tali modo perſonati majorem agendi , dicendique pro libito libertatem ſibi ſumebant . Antiquiorum Larvæ non tantum faciem , ut noſtrates , ſed partem etiam capitis tegebant, ſecundum Gellii [b] ſententiam; inquit enim, *Caput & os cooperimento perſonæ tectum* . Sin autem alicui magis placeret verbum illud *Perſona* non ſolum vultus , capitiſque tegumentum , ſed omnimodam veſtis mutationem ſignificaſſe , id non inficior , dummodo & pro Larva ſumi poſſe mihi concedatur , ſecundum illud Phœdri :

[c] *PERSONAM tragicam forte vulpes viderat .*
O quanta ſpecies , inquit , cerebrum non habet !

Primum vultum colore liniebant , inde corticibus faciem te-

a *Pitiſcus. V.* Perſona .
b *Gellius Noct. Attic. lib. 5. c. 7.*
c *Phædr. Fab. 7.*

texerunt, mox coriaceæ, ſeu ex alia ſimili re contextæ Larvæ ad præternaturalem lepiditatis aut terribilitatis formam utplurimum compoſitæ; multæ tamen repræſentabant viros, quos in comœdia introducebant poetæ. In theatralibus ludis, de quibus loquuti ſumus, primum, poſtremo in conviviis adhibitæ fuere: Eſchinem, in Orat. de falſa legat. hac arguit objurgatione Demoſthenes [a]: *Et huius execrandi Coryblanis, qui in ſolemnitatibus ſine perſona comeſſatur*. Hinc arguitur apud Græcos ad ſuarum ſolemnitatum convivia perſonatos accedere in moribus fuiſſe.

Quod vero ad conſuetudinem Romanorum Svetonius in Auguſto quamdam cœnam ab eo factam hiſce verbis narrat [b]: *Cœna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, quæ vulgo Dodecatheos vocabatur, in qua Dearum Dearumque habitu diſcubuiſſe convivas, & ipſum pro Apolline ornatum non Antonii modo epiſtolæ &c. exprobant &c.* De illis verumtamen Larvis non loquor, quibus in conviviis ad mortem recordandam, uti ſolitum erat; quarum Petronius Arbiter, aliique meminere, utpote a re propoſita alienis. Itidem in funerum pompa eas adhibitas fuiſſe conſtat ex Svetonio [c] in Veſpaſiano: *Sed*, inquit, *& in funere ejus Favor Archimimus perſonam ejus gerens, imitanſque, ut eſt mos, facta, & dicta vivi*. Videntur tamen hæc potius de Larva totam veſtium perſonati mutationem denotante, quam de ea, quæ ad faciem tantummodo velandam inſerviebat, intelligenda eſſe.

Quarto triumphorum illæ erant non parvus ornatus, Zonora enim To. II. inquit: *Priuſquam ſcenici perſonas excogitaſſent, ficulneis foliis facies velati dicteria verſibus jambicis proferebant, quam licentiam & milites in victoria, feſtivitate eodem ornatu in victores uſurpabant, atque hinc triumpho nomen; a Thrion* ſcilicet, & *Jambos, Triambos*, quæ vox pauliſper mutata Latine *triumphum* effecit. Verba a militibus in triumphali plauſu prolata, nempe IO TRIUMPHE in nonnullis æreis numiſmatis parvi moduli, ſed

a *Demoſth. p. 339. edit. Francof.*
b *Sveton. in Aug. cap. 70.*
c *Sveton. in Veſpaſ. cap. 19.*

Digitized by Google

ſed elegantis artificii reperiuntur, ſicuti ex hujuſmodi numorum theſauris patet.

Quinto pariter in bello, ut Frontinus, & Polienus ajunt, nam ad inſidias contra hoſtes ſtruendas milites vel muliebrem, ſicuti Solon contra Megarenſes, vel ipſorummet inimicorum, ſicuti Conon contra Perſas, Cato contra Carthaginenſes, & in Trojano incendio contra Græcos Æneas, perſonam induebant.

Sexto denique ad Feſta Cybelis celebranda; ita ſentiunt Herodianus, & Cenſorinus, necnon Ovidius in Faſt.[a]

Cur vagus incedit tota Tibicen in Urbe?

Quid ſibi perſonæ, quid toga longa volunt?

At in ludis quinquatriis minoribus, addit Paccichellius[b], *& in Megalenſibus mutata veſte, ac perſonata facie ſacrificiorum cauſa eos exercuiſſe tradunt alii*. Verumtamen ſi uberior de Larvis, quæ in Deorum celebritatibus a Romanis adhibebantur; notio deſideratur, Panvinius eſt *de Ludis Circenſibus* perlegendus. Ex hac Theſpia plauſtrorum inventione, quæ, ut opinor, prima fuit theatrorum rudis forma, aliquid profecto boni eruditorum Reſpublica nacta eſt; Theſpis enim ante ſcenam inventam in plauſtris tragœdiam docebat, & repræſentabat, ut inquit Lambinus[c], & rurſum addit: *Canebant igitur, & agebant ipſi poetæ ſua poemata*. Hinc igitur Poetæ morem duxerunt in auditorum conventu carmina recitare, quod veroſimile eſſe videtur. Uſus hujuſmodi penes Græcos, Ægyptioſque fuit. Vide ſis præfationem ad ſeptimum Vitruvii librum, in qua narratur Ptolemæum Alexandriæ Bibliothecam conſtruentem, ad illius, quæ Pergami erat ſimilitudinem, invitaſſe ad ſuas lucubrationes recitandas literatos viros præmiis propoſitis, ac judicibus, inter quos Ariſtophanes fuit, ad excellentiores judicandos conſtitutis. Utrum Romæ Accius & Ennius ſua recitarint carmina, dubitat Plinius, Terentius autem, teſtante Donato[d] *Andriam, quum Ædilibus daret, juſſus ante*

Cerio

a *Faſt. l. 6. v. 604.*
b *Paccichell. de Larvis c. 2. p. 19.*
c *Lambin. ubi ſupra.*
d *Donat. in Vita Ter.*

Digitized by Google

Cerio recitare , ad cenantem cum veniſſet , dictus eſt , quod erat contemptiore veſtitu , initium fabulæ ſubſellio juxta lectulum reſidens legiſſe , verumtamen poſt cœnam , *cetera percurriſſe non ſine magna Cerii admiratione* . Hujuſmodi autem recitatio Poetis , & literatis viris non tantum , ſed & ipſis Imperatoribus familiaris fuit , modo in magna Populi , modo in ſelectiorum auditorum frequentia , prout vel in privatis domibus , vel in hortis , vel in baſilicis , balneis , plateiſque recitarent , quamvis Farnabius dicat : *Alii ferunt Romæ locum in Appia fuiſſe , in quo recitabant Poetæ* .

De tempore autem ad id ſtatuto , nihil certi dici poteſt . De verna tempeſtate loquitur Plinius [a] junior in primo ad Publium Soſium Senecionem libro : *Magnum proventum Poetarum annus hic attulit , toto menſe Aprili nullus fere dies , quo non recitaret aliquis : juvat me , quod vigent ſtudia : proferunt ſe ingenia hominum , & oſtentant &c.* Porro ſive tragœdias , ſive comœdias recitandi libera erat facultas , immo hiſtoriam a ſe ſcriptam Claudius Cæſar adhuc adoleſcens recitavit . Dicendi igitur argumentum cuique liberum erat . Quod vero non e ſuggeſtu recitari conſueverit, Raderus [b] affirmat , ſed Aulus Perſius modo adducendus quodam ſuggeſtu haſce recitationes habitas fuiſſe teſtatur . Præterea recitanti curæ erat (nam eo recitatio , & præſertim ſi publice habebatur , tendebat , ut ſibi famam , laudemque compararet) ad auditorum oculos captandos , ornatu , quo fieri poterat comptiore , ſeſe ſpectabilem exhibere . Rei utriuſque teſtis eſt Perſius [c] :

Scilicet hoc populo pexuſque , togaque recenti
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus
Sede legit celſa .

Sed ne plura omnibus per ſe nota congeram , poſtremo dicam hanc recitandi æmulationem Judicibus adſignatis , præmiiſque propoſitis , ſecundum quod alias Ptolomæus fececerat , Romæ inſtitutam fuiſſe , inſcriptionibus idem compro-

a *Plinius Jun. lib. 1. Ep. 13.*
b *Raderus ad Martial. l. 10. ep. 70.*
c *Perſius Sat. 1. ver. 15.*

Digitized by Google

probantibus inter quas, ſubſequens adnumeratur, agitque de Poëta anno ætatis ſuæ tertio ſupra decimo laurea donato, quam Inſcriptionem Panvinius, ac Gruterus[a] publici juris fecerunt.

L. VALERIO L. F.
PVDENTI
HIC CVM ESSET ANNORVM
XIII. ROMÆ CERTAMINE
JOVIS CAPITOLINI LVSTRO
SEXTO CLARITATE INGENII
CORONATVS EST INTER
POETAS LATINOS OMNIBVS
SENTENTIIS JVDICVM
HVIC PLEBS VNIVERSA
HISTRIONENSIVM STATVAM
ÆRE COLLATO DECREVIT
CVRAT. R. P.

Aliud monumentum extat in Gronovii Græcarum Antiquitatum Theſauro Tom. II. qui notis & additionibus Venetiis anno 1733. iterum prælo commiſſus eſt. Poetam hinc ſtantem, & carmina recitantem, illinc Poetam alium ſedentem, tenentemque Larvam præ manibus & auſcultantem exhibet, abaco inter eos poſito, cui ſunt Larvæ duæ ſuperpoſitæ, Poëſis Symbolum, ſeorſim vero duo vaſa, præmia poetis elargienda, aut quæ hæc præmia fortaſſis continent, conſpiciuntur.

a *Grut. Inſcrip. To. I. par. 2. pag.* cccxxxii. *n*: 3.

Digitized by Google

TABULA PRIMA

CAPUT PRIMUM.

Quoniam de recitantibus ſermo eſt, huic theatrali collectioni hac inſcriptione initium dabo, quæ anno 1733. una cum ſexcentis aliis ſepulcralibus lapidibus reperta fuit, quum duobus locis terram effodiendam curaſſem, ac duo inveniſſem Columbaria, ollis, necnon parvis, magniſque urnis exuſtorum oſſium de more referta, unum dextrorſum poſt Thermas Caracallæ, & S. Cæſarii Baſilicam; alterum autem ad lævam poſt S. Xiſti Baſilicam, quæ pertinet ad PP. Ordinis Prædicatorum; quæ Baſilicæ olim extra antiquas Portas Appiam & Latinam erant, ad latera, & in ingreſſu viarum ejuſdem nuncupationis. Hæc Columbaria anteactis temporibus, ſucceſſivis terræ, & cæmentorum egeſtionibus contecta fuere, poſtquam ædificia ſuper ea conſtructa, Mauſoleorum ſpeciem præſeferentia, quorum cuique epigraphe adjecta erat, propriis ruinis obruta periere; modo autem in hodierno murorum ambitu, qui ab Aureliano Imperatore prolatus fuit, ſicuti in mea de bulla aurea diſſertatione oſtendi, incluſa fuerunt.

Per hanc magni quidem faciendam inſcriptionem, Poetæ cujuſdam Romani notionem adipiſcimur, qui Tiberius Claudius Tiberinus vocabatur, & ut opinor, Tiberii Claudii Auguſti libertus, Romæ forte ex parentibus ſervis ortus, quantum ex Tiberini nomine arguere licet, quod poſtea, quum ipſe libertate, necnon civitate donatus fuit, vim cognominis obtinuit.

De Tribu erat Exquilina, una ex quatuor Urbanis, in quibus ſervi libertate donati ſolebant adſcribi, quippe quæ minus nobiles erant Tribubus ruſticis.

Tres illæ Larvæ, quæ in fronte hujus epitaphii anaglypho opere inſpiciuntur, nos edocent hujus Poetæ artem, qua auditorum animos ſibi devinciebat, dum in conviviis, æque ac in Cæſaris Foro, quod prope Viam Sacram, magnificis Templis ornatam, ideoque aſſidua populi frequentia celebrem, erat, ſua carmina recitaret.

Stel-

Digitized by Google

 D  M 

TI.CLAVDIVS. ESQVILINA.AVG TIBERINVS
HIC.SITVS.EST.FECIT.TAMPIA.HYGIA.MATER FILIO PIENTISSIMO
TV. QVICVMQVE MEI.VEHERIS.PROPE LIMINA BVSTI
SVPPRIME.FESTINVM QVAESO VIATOR ITER
PERLEGE SIGNVM QVAM.DOLEAS.PRO FVNERE.ACERVO
INVENIES TITVLO NOMINA FIXA MEO.ROMA MIHI.PATRIA EST MEDIA
DE PLEBE.PARENTES.VITA FVIT NVLLIS.TVNC VIOLATA MALIS
GRATVS ERAM POPVLO QVONDAM NOTVSQVE FAVORE NVNC SVM DEFLETI PARVA
FAVILLA·ROGI·QVIS·BONA·NON·HILARI·VIDIT·CONVIVIA·VOLTV
ADQVE MEOS·MECVM PERVIGILARE LOCOS·QVONDAM EGO PIERIO VATVM
MONIMENTA CANORE·DOCTVS CYGNEIS ENVMERARE MODIS
DOCTVS MAEONIO·SPIRANTIA·CARMINA·VERSV·DICERE CAESAREO CARMINA NOTA FORO
NVNC AMOR·ET·NOMEN SVPEREST·DE CORPORE TOTO·QVOD SPARGIT LACRIMIS
MAESTVS·VTERQVE PARENS SERTA MIHI FLORESQVE·NOVOS MEA GAVDIA·PONVNT
FVSVS·IN ELYSIA·SIC EGO VALLE MOROR QVOD MEAT IN STELLIS DEIT HINQVOD PEGASVS ALES
TOT MEA NATALES·FATA·DEDERE·MIHI

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Stellarum numero, quæ in aſteriſmo Pegaſi lucent, Poetæ ætas ad epitaphii calcem ænigmatice enunciatur. Aſtronomiam non calleo, quapropter eam conjectare poterunt in hac diſciplina eruditi.

TABULA SECUNDA

CAPUT SECUNDUM.

Opus anaglyphum quinque figuras continens mirifice ſculptas, ac e ſuo prototypo, qui in Farneſianis ædibus aſſervatur, fideli cura delineatas, exhibet quamdam ex illis ſcenicis, ac frequenter in antiquis theatris peragi ſolitis actionibus, indignationem ſcilicet heri in ſervum, prout opinor. Servus, qui in hoc marmore ſculptus inſpicitur, illorum ſervorum ſpeciem habet, quibus antiqui Comœdi ad ſuorum operum texturam utebantur, qui ex forma Larvæ ſimplices, ac bardi apparebant, re autem vera verſuti, & callidi maximopere, ut in hodiernis quoque comœdiis fit. Scena, quæ in hoc marmore repræſentatur, ei ſimilis videtur, quam legere eſt apud Terentium [a]:

S. Hem *Dromo*, *Dromo*. D. *Quid eſt?* S. *Dromo*. D. *Audis?... Verbum ſi addideris*, *Dromo*.

D. *Audi obſecro*. D. *Quid vis?* S. *Sublimem hunc intro rape*, *quantum potes*.

DR. *Quem?* S. *Davom*. D. *Quamobrem?* S. *Quia lubet*. *Rape*, *inquam*. D. *Quid feci?* S. *Rape*.

Sicut enim hac in ſcena Simon pater familias de Davi technis ſuſpicans, Dromonem lorarium appellat, ut eum puniat, callidi ſervi obteſtationes nihili reputans, ita hoc in marmore ſimili de cauſa, e ſiparii latere prodiens, & præ manibus flagellum tenens, ut ſervum cædat., lorarius ad id muneris vocatus conſpicitur. Lorarii ſecundum Gellii [b] ſententiam munus erat reos verberandi, aut vinciendi, prout eis in mandatis dabatur. *Itaque*, inquit Gellius, *ii ſequebantur Magiſtratus*, *tamquam in ſcenicis fabulis*, *qui dicebantur*

a *Terent. in Andria Act. 5. Sc. 2.*
b *A. Gell. lib. 10. cap. 3. in fine.*

Lorarii , *& qui jussi erant* , *aut verberabant* , *aut vinciebant* . Flagella hujuſmodi ſeu ex funibus , ſicuti Horatius [a] de Mena Liberto loquens , indigitat :

Ibericis peruſte funibus latus ,

ſeu ex corio erant , ut apud Plautum in plurimis ſuarum comœdiarum locis videre eſt . Talis pœna ceteris vilior reputabatur, ideoque ea ſervi afficiebantur ; propterea Marcellus Juriſconſultus ait : *Ex quibus cauſis liber fuſtibus cædebatur* , *ex his ſervus flagellis cædi* , *& domino reddi jubet* . Huic flagellorum proxima erat virgarum poena : *Honeſtior tamen* , inquit Gretſerus [b] , *fuſtium animadverſio* , *quam virgarum ſive vite* , *ſive alio bacillo* , *ſeu baculo fieret* . Virgarum , quibus plectebantur ſervi, frequenter meminit Plautus , præſertim ſcena ſecunda actus tertii Aſinariæ : *Ubi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo validos lictores ulmeis affectos lentis virgis* . Gretſerii dictum Livius de Scipione prope Numantiam loquens confirmat dicens : *Quem militem extra ordinem deprehendit* , *vitibus* , *ſi extraneus fuſtibus cecidit* . Vite verberare in more præſertim apud Centuriones erat contra milites ſolummodo , ſed in antiqua militia fuſtuario virgis cædebantur eo modo , quo fieri nunc ſolet , ac vulgari modo dicitur *paſſare ſotto le bacchette* , ſive hoc agatur ad correctionem , ſive ad ultimum infligendum ſupplicium . Severioris generis fuſtuarium in ſexto ſuæ Hiſtoriæ libro adducit Polybius [c] , ideoque non ſemper vitium fermentum fuiſſe ad pœnas dandas indiſcriminatim adhibitum argui poſſe videtur : *Tribunus fuſtem capit* , *eoque condemnatum quaſi attingit ſolum* , *quo facto omnes Legionarii qua fuſtibus* , *qua ſaxis inibi intra caſtra* , *ut plurimum quidem ſontem* , *necant* , *ſed & ſi qui evaſerint* , *non tamen ſalvi propterea ſunt* , *nam quæ illis ſalus* , *quibus nec in patriam quidem reditus non licet ? Et quos neceſſariorum nemo auſit tecto recipere ? Quamobrem qui ſemel in eam calamitatem inciderunt* , *pleniſſime pereunt* . Vide etiam Tacitum Annal. libr. I.

Quod

a *Horat. Od. 4. Epod. v. 3.*
b *Gretſer. de Cruce To. 1. lib. 1. cap. 8. lit. G.*
c *Polyb. lib. 6.*



Baſsorilievo

Digitized by Google

Quod tamen puella duabus tibiis imparibus ſonitum edat, non aliam ob cauſam id fieri opinor, quam ut ſonitus illius modulamine ſpectatorum animos, tempore fuſtigationis intermedio, potius recreet, quam verberationem rythmo quodam moderetur.

Dignus quidem conſideratione eſt baculus inflexus, ſeu pedus, paſtorum & ſylveſtrium Deorum præcipuum, & proprium inſigne, quem herus præ manibus tenet uti Paterfamilias, ac etiam pallium fimbriatum, cui omnino ſimile tam in lacinia, quam in induendi modo, illud erat cuidam fictili ſimulacro palmaris fere magnitudinis inductum, quod non multo abhinc tempore ad meas manus devenit.

Herus in hac tabula delineatus ira percitus in ſervum baculo impetum facit, qui timore correptus lorarium circumplexando auſugium quærit. Verumtamen ne quid periculi vita, decuſque heri ſubeat, quod hiſce temporibus ob famulorum, qui potius amandandi, quam verberandi erant, audaciam non ſemel contigit, herus ipſe per quemdam familiarem ſuum in officio continetur. Hujuſce generis exemplum in promptu habeo jucundum quidem relatu. Non multis abhinc annis, meam prope domum, nobilis quidam vir famulum ſuum ligna bajulantem baculo, neſcio qua de cauſa, percuſſit, aſt ille quum ad novam lignorum ſarcinam aſportandam mox rediiſſet, baculo arrepto ipſum dominum ad eam ſupra dorſum ſuum ferendam coegit, & quamvis ad arma poſtea capeſſenda Dominus cucurriſſet, ſervum tamen amplius non invenit, etenim auſugerat, quo toti viciniæ riſus occaſionem præbuit.

TABULA TERTIA

CAPUT TERTIUM

Multa inter monumenta in Muſæo RR. PP. Soc. Jeſu Romani Collegii adſervata nonnullæ adnumerantur ex ære, & ex marmore Larvæ, quarum unam anaglypho opere, ſed aliqua ex parte confractam hic delineatam videre eſt, ſecundum diagramma, quod PP. mihi perhumaniter exhibuerunt.

Di-

Digitized by Google

Dimidiam militis perſonam, quantum ab externa corporis habitudine conjicere fas eſt, monumentum hoc repræſentat; ſtrenuus quidem verbo, re tamen ſocors, qui duarum tibiarum ſonitu, quas latas in extremitate, inſtar tubarum, puer, cujus caput ſolum apparet, modulatur, ſua concinit vane celebrata geſta, eum in modum, quo etiam hodiernis diebus in more eſt apud noſtros comœdos. Larvatus eſt inflata facie, & prægrandi ore præter naturalem formam. Ita perſona hæc ſolebat repræſentari vetuſtis temporibus, ſicuti ex Plauto, & Terentio percipimus. Tunica, qua ipſe induitur, orbiculatis foraminibus referta obliquo ordine diſpoſitis, magnam quamdam ex tot illis ſpecie diverſis loricis fortaſſis indigitat, quibus, ut legitur, antiqui milites utebantur, quinimmo hæc præ ceteris grandior videtur, ut facilius ipſa timori potius, quam fortitudini talis militis reſpondere videatur, nec non ut ridicularius factus, hujuſmodi milites glorioſos a vanis jactationibus cohibeat, atque moneat ad fortia perpetranda, & veris aliorum laudibus digna.

Ex hoc anaglypho opere ediſcimus antiquum morem theatrorum duas inflandi tibias, unam aliquanto alia longiorem, quod ex aliis vetuſtis monumentis comprobatur. Quod adhuc vivo Terentio, qui vixit primum inter, & alterum bellum Punicum, hic mos invaluerit, compertum habemus ex Diomede; namque ait libr. 3. *Hujus enim rei indicia prodeunt nobis antiquæ comœdiæ, in quibus invenimus acta tibiis paribus aut imparibus, aut ſerranis &c.* Quid autem pro tibiis paribus, imparibuſque intelligendum ſit, idem auctor ſignificat: *Sed quod paribus tibiis, aut diſparibus invenimus ſcriptum, hoc ſignificat, quod ſi quando Monodio agebat* (loquitur de tibicine) *unam tibiam inflabat, ſi quando Synodio utramque.*

Hic una ſaltem tibiarum, alia enim illi fere conſimilis fracta eſt, tubæ formam, ut diximus præſefert, ideoque eo penitus modo, quo eæ in uſu erant Horatii ætate, videtur conſtructa, nempe ad tubas imitandas. Ait enim ille;

[a] *Tibia, non ut nunc orichalco vincta, tubæque Æmu-*

a *Horat. de arte Poet. v. 202.*

Æmula, ſed tenuis, ſimplexque, foramine parvo
Aſpirare, & adeſſe choris erat utilis.

Penes veteres in more fuit non tantum in comœdiis, ſed & in aliarum ſolemnitatum celebratione, quinimmo & in ipſis funeribus tibiis uti, & mihi contigit vetuſtam tibiam eburneam circulis contextam argenteis in Columbario quodam reperire, ut in mea Bullæ aureæ Diſſertatione pag. 41. indicavi. Et quum anno 1733. inter multas marmoreas epigraphes, in memoratis Columbariis inventas; quædam ad tibiarum pertinens inventa fuerit, hujus loci erit eam referre.

M. CVRIVS EVPOR.
TIBIARIVS DE SACRA VIA

Quod in Via Sacra, utpote quæ præ ceteris in Urbe populi frequentia celebrior, plures etiam alii pretioſarum mercium negotiatores commorarentur, a præclaro Grævio habetur ex ſequenti epigraphe.

C. FVFIO ZMARAGDO
MARGARITARIO DE
SACRA VIA

Sponius quoque in Miſcell: ſect. 6. pag. 226. epitaphium Marci Cedicionis Negotiatoris DE SACRA VIA adfert. Verumtamen quum hic pereruditus auctor crediderit, quod non *de ſacra via*, ſed verbis inverſis *de via ſacra* legi deberet, errore nque inciſoris inſcitiæ referendum autumaverit, monere lectorem volui non ſolum in his epigraphis optime legi *de ſacra via*, uti apud Gruterum [a].

D. M.
L. FVRIVS. L. F. DIOMEDES
CÆLATOR DE SACRA VIA.

ſed eo modo veteres etiam hiſtoricos ſcripſiſſe, ut videre eſt

a *Gruter. To. 1. par. 2. pag. 639. n. 11.*

Digitized by Google

eſt apud Svetonium in vita Julii Cæſaris cap. 46. *Habitavit primo in Suburra modicis ædibus*, *poſt autem Pontificatum maximum in ſacra via Domo publica*. Herodianus, ſecundum Oxonienſem editionem anni 1704. libr. 7. fol. 246. tam in Græco, quam in Latino textu ſimiliter loquitur, ubi agit de tabellionibus, qui Gordiani ad Romanum Senatum epiſtolas ferebant. At enim Horatius Satyra 9. dixit *via ſacra*. Scilicet quia ſibi magis ad carminis menſuram facere videbatur.

TABULA QUARTA

CAPUT QUARTUM.

QUinquaginta ſcutorum pretio, atque eruditi Equitis Davidis Mariæ de Maſſanes ope caput Auguſti in amethyſto violaceo inciſum pro annulo ſignatorio, addita dictione VALERIENSES, in ejuſque poſtica parte Larva quadam heroica, & agreſti pedo capiti ſuperalligato exculptis, in Neapolis ſuburbiis repertum mihi comparavi.

In hac gemma, a Græco artifice elaborata, Auguſti imago eſt quidem prototypo ſimillima, ſed verbum illud *Valerienſes*, necnon ea Larva inferius appoſita, ſunt intellectu apprime difficilia. Quum tamen ad examen revocaverim, in eam deveni opinionem, nempe, ut τὸ *Valerienſes* milites Valerienſes innueret, quibus inſtructa erat vigeſima Valeria Legio Victrix, ab Auguſto una cum aliis per Romani Imperii Provincias conſtituta. Ea enim legio illius, quo in Scenicis exercitationibus Imperator afficiebatur, oblectamenti conſcia, nam eo imperante pluries Romæ, ut a Svetonio [a] edocemur, a cujuſcumque linguæ hiſtrionibus celebratæ ſunt, aliquam fortaſſis heroicam tragœdiam eidem dedicavit, cujus rei memoriam hac gemma ejus imagine, ac ſcenica Larva exornata poſteris prodidit. Larva hæc quum apertum os habeat, perſonam quamdam exhibet, quæ in aliqua agreſti comœdia ſua recitet, ſeu canat carmina, pe-

a *Sveton. in V. Aug. cap.* 43.



Digitized by Google

Digitized by Google

pedum enim id nobis de more indigitat, niſi clavam potius exiſtimemus, ut Auguſti genium innuat, qui ſcenica oblectamenta a militari fortitudine non ſejungebat. Sub initio Hiſtoriæ a ſe conſcriptæ narrat Dio, milites Valerienſes ſævitiam Luculli ferre minime volentes ab ejus ſignis deſciviſſe, ſed quum ei Pompejus Magnus ſucceſſiſſet ad bellum gerendum, hic cum intelligeret ſibi contra Regis Mithridatis copias dimicandum fore, Valerienſium legionem accerſivit. Idem auctor in fine libri 55. inter legiones ab Auguſto ad Imperii Romani tutelam conſtitutas, hanc vigeſimam Valeriam legionem victricem adnumerat, quæ etiam apud Grævium in Tomo 1. Antiqu. Rom. aliiſque auctoribus commemoratur.

Hæc ipſa Militum Valerienſium legio multis Imperatoribus præſto fuit, ac una cum aliis tribus legionibus in Germaniam miſſa. Idem Dio libr. 15. refert, quod quum Petus a Britannis populis fuiſſet, ſeptuaginta millium Romanorum, ac confœderatorum internecione, profligatus, Paulinus Svetonius octoginta millium Britannorum cæde, hujus legionis vigeſimæ fretus auxilio, Peti & ſuorum neces ultus fuerit. Quod autem eadem hæc Legio ad Britannorum audaciam cohibendam in illa Inſula ſub Imperio etiam Antonini Pii immorari non deſierit, ex quadam arguitur marmorea epigraphe, inter aggerum & murorum ibi a Septimio Severo conſtructorum ruinas adinventa, per Cl. Gruterum fol. 256. Tomi primi n. 8. publice luci demandata, qui Tomi Secundi ſuarum Inſcriptionum pag. 513. & alibi nonnullas alias prodit ſepulcrales hujuſmodi epigraphes ad milites, nec non militum rectores vigeſimæ Valeriæ legionis ſpectantes. Hic tamen indictum nolo, me nimis notis infortuniis preſſum, Auguſteam hanc gemmam a ceteris hujus meæ collectionis ſcenicis monumentis abalienare coactum fuiſſe, quæ modo cum nonnullis aliis, magni quidem pretii, apud Gabrielem Medinam Liburnenſem extat.

TABULA QUINTA

CAPUT QUINTUM.

DEcoris quantum, & magnificentiæ Auguſti temporibus ludi ſcenici præſeferrent, teſtes nobis hiſtorici, & Poetæ; ex quibus accipimus, illos eidem Imperatori adeo in deliciis fuiſſe, ut undique hiſtriones accerſiverit, quos inter Pylades, & Bathyllus præ ceteris claruerunt, quorum inter ſe æmulatio populari factioni cauſam dedit. Bathyllus autem Mœcenatis patrocinium nactus eſt, ex quo Pylades Urbe ab Auguſto pulſus fuit, poſtea vero ab eodem revocatus, quod ipſo mirum in modum delectaretur, & ut magis magiſque populi benevolentiam captaret. Nonnullæ inſcriptiones horumce Comicorum memoriam perennem nobis ſervant. Ea, quæ de Pylade mentionem facit, a Cl. Grutero pag. cccxxxi. n. 1., ea vero, quæ de Bathyllo, ac aliis quinque Auguſti Libertis, a Fabretto pag. 438. cap. 6. n. 38. referuntur. Hìc equidem referam carmina nonnulla, in quibus Phædrus [a] Auguſti & ipſe Libertus Bathylli meminit:

Princeps tibicen notior paulo fuit,
Operem Bathyllo ſolitus in ſcæna dare
Is forte ludis, non ſatis memini quibus,
Dum pegma rapitur, concidit caſu gravi
Nec opinans ſiniſtram fregit tibiam,
Duas cum dextras maluiſſet perdere.

Noſtris vero hiſce diebus alia hujus Bathylli prodiere monumenta, & præcipue urna ejus ſepulcralis una cum illius ſtatua, & inſcriptione, dum ad viæ Appiæ lævam Columbarium Liviæ, Auguſtique Libertorum detectum fuit. Hujus autem Columbarii, necnon ollarum, urnarum, marmorearumque inſcriptionum ſtatim diſperſarum ἐκτύπωσις ſtudio Reverendiſſimi Franciſci Blanchinii Veronenſis, & Antonii Franciſci Gorii Florentini, poſtremo Dominici de Rubeis Romani in lucem cum luculenta enarratione prodiit.

Ve-

[a] *Phædr. libr. 5. fab. 7.*



Digitized by Google

Digitized by Google

Verumtamen quum Bathylli monumenta meæ huic collectioni plurimum conferant, operæ pretium eſt ea adhuc quartum proferre, non ut in trium virorum operibus actum eſt, cum ejus ſtatua capite diminuta, aſt cum ejus ſenili larva, ex qua antiquarum rerum perſcrutatores tam celebris, & pervetuſti Comici effigiem cognoſcent, & ab epigraphe, etiamſi in ea illius prænomen, nomenque exciderit, auguſti Liviæque fato hunc Cajum Julium Bathyllum ſuperſtitem fuiſſe, necnon immunem, & honorarium templi, poſt mortem eis in Palatino monte dicati, cuſtodem, ac æдituum.

Quomodo autem Bathylli caput, quo carebat ejus ſtatua, ſuper urnæ ſepulchralis operculum jacens, meas ad manus devenerit, referam. Illius vineæ dominus Benci cognomine, in qua Libertorum Columbarium repertum fuit, circa ipſum identidem effodiens terram alia antiqua monumenta reperit, plures ſcilicet pedes, manus, capita, ex anaglyphis, quibus urnæ exornatæ fuerant, præciſa, necnon Inſcriptiones ipſis urnis appoſitas, confractas, dum terram verterent negligentius avari vinitores præteritis temporibus, ad inquirendum tantum annulos aureos, aliaque pretioſiora intenti. Ex his capitibus marmoreis unum præ aliis grandiuſculum ex Bathylli ſtatua abſciſſum fuiſſe, facile erat dignoſcere, quapropter eo ſuper ſtatuæ collum; ad rem diligentius conſiderandam compoſito, quum re ipſa adamuſſim cum ſtatuæ collo congrueret, hoc caput Batylli eſſe intellexi, quod anaglyptice cælari non poterat, nam urnæ operculi magnitudinem excedebat. Hoc modo mei juris factum eſt. Epigraphes aliæ, quæ ab urna, & epitaphio ſejunctim repertæ fuere, hæ ſunt:

DIS MANIBVS
JVLIÆ SEDATÆ
DEC.
CONTVBERN.
C. JVLII BATHYLLI
IMMVNIS

Alter autem lapis ſic habet:

IVLIVS MARI. L.
BATHYLLVS
DEC.

Verum cum hic Bathyllus primo nomine Caji careat, & præterea Marii fuerit Libertus, celebri Cajo Julio Bathyllo Auguſti Liberto convenire hic lapis non videtur. Tertiam demum epigraphen ideo tantum refero, quod de quodam Comico agat:

EVPHRO. TERTI
ÆDITVVS
ATIMETVS. COMOEDVS.

TABULA SEXTA

CAPUT SEXTUM

HUjus Tabulæ primum ſchema, ex quadam ſculpta gemma delineatum, loricatam juvenilis ætatis exhibens mulierem ſedentem, clamyde indutam, brachio inter ſellam, clypeumque extenſo, quæ quaſi ſubridens larvam, quam ſiniſtra protenſa tenet, inſpicit, Minervæ Deæ ſcientiæ tribui poſſet, ſcilicet tanquam ſcenicorum etiam operum præſidi, in quibus non modico ingenio opus eſt, quod per Minervæ ſymbolum repræſentatur..

Belligeræ hujus mulieris ſuper rude ſaxum ſedentis ſchema Urbem Romam etiam indigitare poteſt, quum enim Larvam teneat, eamque ſubridens inſpiciat, ejuſdem ad ſcenicos ludos, in quibus, ſicut & in cæteris rebus, præ aliis Orbis Regionibus primas obtinuit, genium fortaſſis repræſentat. Secunda vero larva e proſpectu poſita, tenui pileo tecta, ac tertia bifrons, duas ſimul larvas connexas exhibens. præter naturalem formam horribiles ſunt, & in tragicis fabulis ad timorem, terroremque ingerendum adhibitas, fuiſſe autumari poteſt.

Ul-



Digitized by Google

Digitized by Google

Ultimam autem ſchema, e quodam numiſmate grandioris moduli, nunc mei juris, ob D. Clementis Ferretti, antiquarum rerum ſtudioſi, munificentiam, Neronem Cæſarem refert accurate delineatum, ſcilicet ejuſdem Imperatoris laureatum caput cum epigraphe, quæ licet temporis vetuſtate ſit fere conſumpta, ſatis tamen noſcitur. Hujus numiſmatis poſtica pars Neronem triumphali quadriga vectum, laminula vero argentea brachium ſimiliter tegente, aureumque diadema manu ſubſtollentem, repræſentat; ejus prope currum oblonga palma itidem aurea erecta inſpicitur. Clamys, & quod ſub brachio circumvolvitur baltheum, auro & argento conſtant, currus rotæ ex argento, equorum vero lora, muſculi, & pili, quæ majori ex parte detrita ſunt, eorum ſolummodo cæſuris remanentibus, ex aureis filamentis.

Hæc ſane ſingularis Neronis numiſmatis poſtica pars abſque Senatus Conſulti nota, an Neronis ejuſdem, an alterius cujuſcunque commentum ſit hujus rei peritis judicio ſtet. Id tantum notum ſit, apud me Neronis, Veſpaſiani, Alexandri Severi, Maximini, & Trajani Decii, poſtica eorum parte diverſe celata, numiſmata eſſe ex ære, quæ in alio opere deſcribam.

In dubium tamen opinor non revocandum, Neronis opere, ac ſtudio numiſma hujuſmodi aut ad ſui ipſius oſtentationem, aut ad demonſtrandum, quanto ceteris in ſcenica arte ipſe excelleret, percuſſum fuiſſe, ſiquidem ille canebat magna animi voluptate, neque abſonum fore autumavit larvatum in ſcenam progredi, tragœdiaſque agere. *Tragœdias*, inquit in Neronis Vita Svetonius [a], *perſonatus cantavit*, quarum noviſſima *Œdipus Exul* fuit non multo ante ejus obitum tempore, ait enim idem Auctor ibidem [b]: *Obſervatum eti m fuerat noviſſimam fabulam cantaſſe eum publice Œdipodem Exulem*. Hinc conjici fas eſt, quod etiam ipſe in memoriam ſuæ cytharam pulſandi artis, qua de cauſa civitatum nomine coronis Citaroedis debitis donaba-

a *Sveton. in Vita Neron. cap. 21.*
b *Svet. ibid. cap. 46.*

batur, grandioris, minoriſque moduli nummos cudendos curaverit; ait enim idem Svetonius [a]: *Sacras coronas in cubili circum lectos poſuit, item ſtatuas ſuas citharœdico habitu, qua nota etiam nummum percuſſit*. Ac inſuper quum ipſe in Gymnicis exercitationibus, ac in curru moderando laudibus, & plauſu ſupra ceteris, quamquam peritiores, ſuperextolli voluerit, ita a vero prorſus alienum non videtur, ſuæ de ſcenica recitatione præ omnibus relatæ victoriæ, nummo percuſſo, memoriam poſteris commendatam voluiſſe, niſi potius ſuum ob ſupradictas artes triumphum, de quibus ipſemet Svetonius [b] loquitur, ſignificatum voluerit: *Reverſus e Grecia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit disjecta parte muri, ut mos hieronicarum eſt; ſimili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru, quo Auguſtus olim triumphaverat, & in veſte purpurea, diſtinctaque ſtellis aureis clamyde, coronamque capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa ceterorum, cum titulis, ubi quos, quo cantionum, quove fabularum genere viciſſet, ſequentibus currum ovantium ritu plauſoribus Auguſtianos militeſque ſe triumphi ejus clamantibus &c.*

Itaque præter coronam Pythiam, vultumque larvatum ad demonſtrandam in cantu, & citharoedica arte victoriam, palma quoque in ſignum triumphale aurigationis conſpicitur, ſicuti extat non tantum in lucerna num. 26. apud Sanctem Bartolum, verum etiam in quodam plumbeo nummo, quem poſſideo una cum quadringentis aliis, quorum plures populo in publicis celebritatibus, ac in Imperialibus largitionibus elargitos exiſtimo.

TA-

a *Svet. ibid. cap. 35.* b *Svet. ibid.*



Digitized by Google

TABULA SEPTIMA.

CAPUT SEPTIMUM.

UNam ex his duabus imaginibus, optime quidem delineatis, pedibus nudis, quæ ſenili larva perſonata eſt, e qua larva capillitium, & in longum protenſa barba promanant, inflexum baculum dextera manu terræ innixum tenens, veterem aliquem Philoſophum de re morali, magnique momenti in ſcena edifferentem præſeferre putandum eſt, ſi clamydis forma, ac hominis gravitas, & decus attendantur. Altera vero imberbis, brevi tunica, & ſuccincta, ac quaſi ſago poſt tergus rejecto ſuperinduta, enormi larva, e qua brevis coma promanat, perſonata, brachiis, pedibuſque nuda, & quæ totius corporis ſitu, ac cubito mentum ſubfulciente Philoſophum alloquentem attente auſcultare videtur, diſcipulum fortaſſis repræſentat; mos enim erat penes hujuſmodi Philoſophos de ſuorum auditorum profectu, atque frequentia gloriari. Pædagogi, & magiſtri perſonam primum in ſcenam inveхiſſe Neophronem Sicionium Suidas [a] teſtatur: nec mos hujuſmodi a noſtris hiſce temporibus penitus eſt alienus. Anno *1686.* quum in Columnenſium Familiæ theatro comoedia Nicolai Minati, cui titulus: *Il ſilenzio d' Arpocrate* repræſentaretur, primus in ſcenam apparuit Philoſophus quidam, Argivis adoleſcentibus ſilentii præcepta tradens, quod quantum cordato homini neceſſarium ſit antiquorum numiſmata, gemmæ, aliaque ſatis edocent monumenta.

TABULA OCTAVA.

CAPUT OCTAVUM.

QUÆ prior inter haſce novem larvas, omnes inter ſe varias, ſi genas, oculos, enormemque oris habitum

a *Suidas in voce* Νεόφρων.


tum ſpectes, ad Latinos comicos ſpectat, ut Leonardus Auguſtinus putavit, ac riſum excitabat illo terriculamenti genere, quaſi ſpectatores vellet, ut ait Lucianus, deglutire. Altera Sileni perſonam refert, ut apud eumdem Auguſtinum videre eſt in ſua gemmarum veterum collectione. Cornicula duo habet in fronte, barbamque calamiſtratam. Tertia comoedorum illorum eſt, qui vulgo *Pantaloni Politici* dicuntur. Quarta vero juvenem quemdam repræſentat, ſed gravitate præditum, qui poſt ſuas recitationes facie detecta, & larva ſupra caput reclinata, ſeſe extra ſcenam cognoſcendum exhibet, uti in more eſt hiſce temporibus apud noſtros comicos.

Aliæ quatuor, quæ ordine ſequuntur, ad varios oris habitus compoſitæ, ad variarum item fortaſſis regionum comicos pertinent.

Ultima vero, quæ numero nona eſt, hominem quemdam nudum exhibet, qui ſecundum corporis geſtum, ac larvæ inſolentem habitudinem, & naſum oblongum, pileumque acuminatum Catanenſi ſaltatori, vulgo *Giungurgolo*, ſimillimus mihi videtur, qui præ manibus fortaſſis ſacculum nummarium, globulis ex ære, vel ex alia quavis ſonitum reddente materie, refertum tenens, eumque ad temporis menſuram percutiens geſtiebat, ſimulque ſaliebat, ut infra clarius explicabitur, eo pene modo, quo nunc ludere, & ſaltus edere aſſolent illi, qui ludunt, & ſaltant, ac interim crotola, italice *nacchere* pulſant, cujus generis inſtrumenta a ſumma temporum vetuſtate ad nos uſque devenere; ea enim Faunorum manibus Romæ paſſim conſpiciuntur, & præſertim in Barberinis ædibus adoleſcens quidam, Phrygio tectus pileo viſitur, induſtri ſane, & excellenti cura elaboratus, crotalum pulſans. Neque ego putarim eam perſonam quemdam Lupercorum repræſentare, qui in Lupercalibus libero & obſceno diſcurſu per Urbem vagare ſolebant; de iis enim diverſam omnino ſpeciem nobis Varro, Plutarchus, aliique ſcriptores ingerunt.

TA-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

IX.



Lampada di Terra Cotta



Fig.ª di Metallo con occhi e Zanne di Arg.º



Corniola

TABULA NONA.

CAPUT NONUM.

IN mea fictilium ſepulcralium lucernarum collectione tres enumerantur hanc eamdem præſeferentes figuram. Hinc figura illa eſt, quæ prior in præſenti Tabula exhibetur exacte delineata, hominis nempe omnino nudi, recurvo naſo, crinibus criſpatis, ac arrectis, ob motum fortaſſis conceptum in concitatis excurſionibus, ſaltibus, ceteriſque geſtibus, qui brachiis extenſis, pugno concluſo duas, neſcio an æreas, an cujuſcumque alterius materiei, dignoſci enim nequeunt, virgulas geſtat. Aliam omnino ſimilem figuram Cl. Sanctes Bartoli Tab. 34. ex lucerna adfert in quodam Columbario, ſeu potius, ut ipſe ait, ſepulcrali monumento apud Corſinorum Familiæ rus ad lævam viæ Aureliæ reperta, ejuſdemque monumenti pavimentum mirifice teſſellatum ſequenti pagina exhibet, in quo quatuor omnino ſimiles viros ſalientes, duo pileati, duo autem abſque pileo, omnes eadem inſtrumenta plectentes, conſpiciuntur, ſimiles pene ſaltanti ſcurræ pileato, quem Tabula præcedenti exhibuimus. Hic vero etſi pileo careat, ambabus attamen manibus idem inſtrumentum tenet, ille autem læve tantummodo. Nil aliud quam fiſſilia quædam ligna eſſe inſtrumenta hujuſmodi autumat laudatus Auctor, quibus manu agitatis, concuſſiſque, Mimi illi, ſeu, ut vulgo ajunt, *Mattaccini*, ſaliebant, quam ſententiam ex Julio Polluce libro 4. *de ſpeciebus ſaltationis* ſe deduxiſſe profitetur. Ait autem: *Erat enim fiſſilia trabere ligna choricæ ſaltationis ſpecies*. a Quæ quum ita ſint, ad hujus fiſſilis ligni exemplum videtur referendus enſis ille ligneus, qui noſtris hiſce diebus in more eſt apud ſcurras illos, qui vulgo *Zanni* appellantur, ſeu *Traccagnini*, qui, antiquo parazonio ſimilis, uſque ad capulum diſciſſus eſt, & in plures partes diſſectus, quem Italice *Piſtoleſe* vocant, quo obviantes leviter verberant, & quo mimice geſticulantur. Qua vero de cauſa in ſepulcralibus lu-

D

a *Bartol. Lucer. ant. Tab. 34. par. 1.*

lucernis ſaltatores hujuſmodi reperiantur effićti, Dionyſius [a] Halicarnaſſæus nos edocet: *Quin etiam*, inquit, *in illuſtrium virorum funeribus, præter alias pompas vidi & ſatyricos Choros, qui lectulum præcedebant, & ſirinnam ſaltationem ſaltabant*.

Quæ ſequitur perſona, e prototypo delineata eſt, qui in Muſeo RR. PP. Societatis Jeſu, olim Marchionis Capponi, aſſervatur. Brachiis caret hic homuncio, & humili, ut ita dicam, penula infra genua tegitur, quadam ſandaliorum ſpècie calceatus, quæ parvis tæniis ſupra pedes obligata calceamenti quoddam genus præſeferunt a ſocco & a cothurnis diverſum. Itaque neque cothurnatus, neque ſoccatus dici poteſt, & ne *planipes* quidem, ideſt nudis pedibus, quibus tribus modis ſolebant in ſcenam actores prodire.

Præterea hæc perſona tam a tergo, quam dextrorſùm gibboſa apparet, capite abraſo, naſo pando, recurvo, & craſſo, & ſannis argenteis de ore protendentibus, ita ut ipſius vultus a reliquo corpore abnormis, verum monſtrum, veramque ſtultitiæ, & hebetudinis ſpeciem oſtendat, inſtar fatui illius, qui *Pulcinella* dicitur, & hodie in ſcenam induci ſolet, ut riſum moveat. Videndum quid de hac perſona ſcriptum fuit in calce ectypi ære inciſi juſſu ejuſdem Marchionis Capponi.

Tertia, quæ ſequitur perſona, ex quadam meæ collectionis gemma affabre, ut apparet, delineata, amplo pallio cooperta eſt, nudatis pedibus, & capite abraſo. Os ejus & mentum a naſo ſatis recurvo contegitur. Ex tarda & ignavi corporis habitudine, ſtat enim flexis brachiis, ac intra veſtem, quæ ſupra gremium colligitur, involutis, ſimilis dici poteſt perſonæ, de qua ſuperius loquuti ſumus, quæ *Pulcinella* nuncupatur, & quam doctorali toga indutam vidimus Romæ anno 1728. quum quædam ageretur comœdia, cui titulus erat, *Pulcinella finto Dottore*, populo maximopere plaudente.

TA-

a *Dion. Halic. Antiqu. Rom. lib.* VII. *pag.* 477. *in fine.*



Lucerne di Terra Cotta

TABULA DECIMA
CAPUT DECIMUM.

EX multis lucernis fictilibus, quæ in columbariis ollarum, urnarumque, oſſiumque ſemiuſtulatorum plenis, & inſcriptionum, effoſſis ultra Thermas Caracallæ, ac Eccleſiam S. Cæſarii, ſub initio viæ Appiæ, ad dextram, inventæ ſunt, duodecim erant, in quibus exculptæ erant totidem Larvæ, quas hic delineandas curavi. Lucernarum formam, tanquam a noſtra tractatione abhorrentem, minime exhibeo. Non ſatis ſcio an omnes hæ Larvæ comicorum ſepulcra deſignent, an potius confirment, quod ſuperius dictum, Larvas adhibitas fuiſſe in funeribus, ut monſtrat diaglyphum, quod in Villa Pamphiliorum extra Portam Aureliam adſervatur, quod in Diſſertatione de Bulla aurea publici juris feci. Præter has Lucernas larvis inſignitas in nonnullis columbariorum loculis, ubi ollæ cum ſemiuſtis oſſibus erant, inventa ſunt fictilia diaglypha mira arte efformata, in quibus mulieres, hominesque nudi, & ſaltantes conſpiciebantur, quibus ſane Urbs abundabat, præcipue vero ſub Nerone, quum ille etiam pacta pecunia mulieres, & juvenes Romanos ad ſaltus, geſtuſque indecoros, inſtar Græcorum virorum, & mulierum hiſtrionicam artem exercentium, edendos in ſcena compuliſſet. Quod quidem abominandum facinus, ut honeſtiori fuco obtegeret, Juveniles ludos, teſte Tacito [a], appellavit. Quod autem ad mulieres ſaltatrices, pertinet, apparet hoc ex cælatis gemmis, & ex Græcis Etruſciſque vaſibus, nec non aliis id genus monumentis, in quibus mulieres ſaltantes, & in hujuſmodi indecoros geſtus debacchantes, delineatæ conſpiciuntur. Quod ſi quis feminarum ſaltantium chorum eleganti ſſime ſculptum videre velit, conſulat ſingulare diaglyphum, quod eſt in Villa Burgheſia.

Quod autem adoleſcentuli in ſcena ſaltarent, Macrobius

a *Tacit. Annal. lib.* XIV. *cap.* 15.

bius libro 3. aliique auctores, marmoreæque inſcriptiones teſtantur, quas inter hæc inferius poſita, & a Suareſio in ſuo *de Antiqua Præneſte* opere relata numeratur.

SEPTEMTRIO PVER
BIDVO SALTAVIT. ET
PLACVIT.

Hæc vero, quæ ſequitur, fortaſſis ejuſdem pueri, in laudatiſſimo Gruteri [a] opere reperitur.

D. M.
PVERI. SEPTEMTRIONIS
QVI. ANNORVM. XII.
ANTIPOLI. IN. THEATRO
BIDVO. SALTAVIT. ET. PLACVIT.

TABULA UNDECIMA.

CAPUT UNDECIMUM.

SEpulcrales inter lucernas, quas manibus pertractavi, hac, cujus deſcriptionem ſuſcipio, curioſiorem non vidi unquam, quæ quum quatuor ab hinc annis in quodam ſepulcrali cubiculo, ad lævam viæ Labicanæ, reperta fuerit, argumento eſt, ut mihi ſuadeam, imagines in ea effictas comicos illos repræſentare in illo ſepulcro humatos, ornatos iiſdem prorſus veſtibus, quibus in ſcena, ſeu ſuper pegmata in plateis publicis, uti conſueverunt, utebantur quum comœdiam perſonati recitarent. Hanc igitur e ſuo prototypo, qui inter ceteras a me collectas fictiles lucernas aſſervatur, ſecundum ejus naturalem magnitudinem eleganter delineatam exhibeo. Monumentum hoc larvatum virum ſimul ac mulierem, ambos tamen e conſpectu poſitos, repræſentat. Poſt eorum collum duo conſpiciuntur orbiculata foramina, ad oleum infundendum, ut lucernæ, quæ unam inter, & alteram perſonam propter genua protenditur, ſufficeret.

Quid

a *Gruter. Tom. I. par. 2. pag.* CCCXXXII. *n.* 4.

Digitized by Google

XI.



Lampada di Terra Cotta

Digitized by Google

Quid vero dignum hiſce in perſonis, affabre quidem elaboratis conſideratione ſit, id totum in tunica reticulata conſiſtit, qua conteguntur uſque ad cubiti extremitatem, arcte concluſa, nec non in caligis ſimiliter reticulatis tenus partem pedum ſuperiorem, ac demum in calceis, inſueto prorſus modo, tenuiſſimo contextis panno, quæ variis tæniis colligantur, ita ut calceorum caligarumque extremitatibus invicem unitis, nulla pedum pars nudata conſpiciatur. Quapropter his actoribus neque ſoccus eſt, neque cothurnus, eoque minus Planipedes illos appellare fas eſt.

Corona quaſi roſarum ſuper crines formoſæ mulieris, & juvenilis prorſus ætatis, eleganter reductos conſpicitur. Mulier ſiniſtrum brachium inflexum, cujus manus ſub cubito brachii dextri abſconditur, pectori tenet innixum. Vir autem larvatus ſiniſtra manu clamydis, quæ ab humero, cui ſuperimponitur, procidit, limbum tenet; dexteræ manus palmam inverſam, apertamque exhibet intuendam, res equidem non ita facilis, quodque alicujus peculiaris joci gratia inventum fuiſſe conjici poteſt. Ex quibus omnibus, eorumque peregrinis veſtibus perſonas haſce externæ alicujus nationis circulatores eſſe arbitror, qui unguentorum, pulverum, aromatum, aliorumque ſimilium venditione modo in hanc, modo in illam urbem peragrantes, lucellum corradunt. Paucis ab hinc annis quemdam me Romæ vidiſſe memini, qui Turcico indutus more varias ſuper pegma edebat geſticulationes, ac pulverem venditabat nullius momenti, more Orientalium vernaculum ſermonem detorquens, & corrumpens.

TA-

TABULA DUODECIMA.

CAPUT DUODECIMUM.

ALterius fictilis lucernæ formam, quam in quodam Columbario ad dexteram, priuſquam recenti Appia Porta egrediamur, reperi, præſens Tabula exhibet, in qua ſedens quidam in lucernæ extremitate cernitur adoleſcens, qui manibus prope foramen appoſitis, neſcio an ad ellychnii flammam ſeſe calefaciat, an potius innuat inter vinum & lucernas unionem, hæ namque in antiquorum conviviis die ingruente extinguebantur.

Adoleſcentulus hic quum ſit omnino nudus, coronatus hedera, inflatiſque buccis, parvulo Baccho videtur non abſimilis, eo magis quod ex ejus fronte duo prominéant cornicula, quæ ab Ethnicis Baccho tribuebantur ad vini indicandam vim; hinc Horatius [a] *vinum addere cornua pauperi* ait. Aliquem etiam repræſentare poſſet ex illis puerulis, qui immodice exultantes Bacchanalibus aderant, ut Athenæus ſecundo libro nobis teſtatur.

TABULA DECIMATERTIA.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

DUO hi viri perſonati in gemmis, quas apud me habeo, eleganter inciſi ſunt. Prior baculum oblongum terræ altera extremitate innixum tenet, altera ſiniſtro brachio admotum, qui caput prætergreſſus, malorum, ac pyrorum velut racemo ornatur. Larvam idem ſupra frontem elevatam, & quaſi obvolutam tenens proprium oſtendit ſenilem vultum, quaſi quieſcat a geſticulatione. Ei vero pellita zona virilia contegit, cetera nudus exiſtit, de quo hiſtrionum impudice in ſcenam apparendi vetuſto more Juvenalis [b].

Perſonam, thyrſumque tenet, & ſubligar Acci.

Et

a *Horat. Od.* XXI. *ver.* 18.   b *Juven. ſat.* 6. *v.* 70.

XII.



Lampada di Terra Cotta

Digitized by Google

Digitized by Google

Et Lambinus [a]: *Satyricæ fabulæ a Græcis inventæ, ab Atellanis Latinorum non multum diſcrepant; nam quemadmodum in illis Satyri nudi, Fauni, Sileni inducuntur, verbis, & motibus obſcœnis riſum moventes, ita & Atellanis perſonæ turpes*.

Alter vero pedibus, brachiiſque nudis pumilio quidam videtur, & ridicularius, præcipue autem ob bardocucullum, quo illius caput, & frons conteguntur, quare perſonæ illi, quam vulgo *Ponſevere* appellitant, non videtur omnino abſimilis. Supra pectus, ſub quo tunica viſitur obvoluta, a Larva pendet barba. Ab una tantum ſui parte conſpicitur, & aliquem notum hominem imitari videtur. Mimis, ſeu Pantomimis illum adnumero, qui marmoreis inſcriptionibus æternæ fuerunt ab Ethnicis memoriæ traditi, quarum una inter antiqui Lanuvii macerias in prægrandi baſi inſculpta reperta fuit, ut apud Cl. Gruterum [b] videre eſt.

M. AVR. AVG. LIB.
AGILIO SEPTEMTRIO
NI . PANTOMIMO . SVI
TEMPORIS . PRIMO . SACERDO
TI . SYNHODI . APOLLINIS . PA
RASITO . ALVMNO FAVSTINAE
AVG. PRODVCTO . AB. IMP. M.
AVR. COMMODO ANTONI
NO . PIO . FELICE . AVGVSTO
ORNAMENTIS DECVRIONAT
DECRETO . ORDINIS . EXORNATO
ET . ALLECTO. INTER. IVVENES.
S. P. Q. LANIVINVS .

Alter hujus marmoreæ epigraphes dexteram Commodi conſulatus notatur.

TA-

a *Lambin. in Artem Poet. Horat. v. 221.*

b *Gruter. Inſcr. tom. 2. part. 2. p. cccxxx. n. 3.*

TABULA DECIMAQUARTA.
CAPUT DECIMUMQUARTUM.

BAcchanaliorum licentia, quam nonnunquam decreta, & S. C. coërcuere, auctorum teſtimonio nota eſt, ac etiam ex celatis gemmis, metallis, Græcis Etruſcisque vaſibus, aliiſque antiquis monumentis, in quibus adoleſcentuli, puellæque crinibus ſolutis, artubus nudatis, inhoneſtiſque corporum geſticulationibus Furiarum inſtar effictæ viſuntur.

Hujuſmodi vero licentia primis temporibus in more non fuiſſe videtur; Cicero [a] enim inquit: *Scenicorum mos tantam habet a vetere diſciplina verecundiam, ut in ſcenam ſine ſubligaculo prodeat nemo*.

Perſona, quæ in hac Tabula exhibetur, ex quadam gemma inſculpta, ſumma cura delineata, caput hedera redimitum habet, nudum corpus, pedibus ocreas, ſiniſtra autem oblongum baculum terræ innixum, in cujus vertice poma congeſta, dextera autem quoddam clavæ genus tenet, quæ pomis pariter in ordine poſitis compoſita videtur, vel baculus eſt quaſi tornatus; ſeu trajectus per globulos mobiles, qui ſuſdeque feruntur, ac colliduntur rythmo quodam ſonoro. Hujuſmodi comœdus unus ex eis videtur, de quibus ait Horatius [b]:

Carmine, qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agreſtes Satyros nudavit.

Ideſt, ut inquit Lambinus [c], *introduxit inter actus tragœdiarum, vel ſtatim poſt tragœdias recitatas*.

TA-

a *Cic. De Officiis lib.* 1. 35.
b *Horat. in arte Poëtic. v.* 22.
c *Lambin. in Comment. ad Art. Poet. Hor. Ver. ſuprad.*

Digitized by Google

XIV.



In Agata.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Figura di Metallo

Digitized by Google

TABULA DECIMAQUINTA.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

HÆc ærea perſona, quæ in mea collectione e rebus comicis conflata aſſervatur, comœdum aliquem repræſentat pedibus nudum, & a genubus uſque ad caput vili penula contectum, & in quoddam pileoli acumen ad rudem formam quaſi antiqui apicis, terminante.

Larva, qua perſonæ vultus celatur, utpote a corporis commenſu abſona, os, & mentum aperit. Dexterum brachium pugno clauſo pectori innititur, & penula contegitur, tota denique corporis habitudo nonniſi ad ſcurrilem aliquem pumilionem imitandum compoſita eſt, quod ſigillum affabre conflatum fuiſſe puto ad alicujus comœdi excellentiam demonſtrandam, præſertim quum paſſim ſimilium actorum monumenta etiam marmoreis inſcriptionibus reperiantur, inter quæ baſis illa immanis ex antiquis in via Appia Bovillis, nunc *le Frattocchie*, quæ nunc ad Excellentiſſimam Columnenſium Familiam pertinet, effoſſa, ac inter rudera reperta connumeratur. Epigraphes vero hæc eſt:

L. AGILIO . L. F. POMPT . EVTYCHE
NOBILI . ARCHIMIMO , COMVN [a] . MIMOR
ADLECTO . DIVRNO . PARASITO
APOL. TRAGICO
COMICO. PRIMO SVI TEMPORIS
ET . OMNIBVS
CORPORIS . AD . SCAENAM . HONOR
DECURIONI . BOVILLIS
QVEM . PRIMVM . ADLECT . PATRE
APPELLARVNT
ADLECTI . SCAENICORVM , EX AERE
COLLATO
OB . MVNERA . ET . PIETATEM IPSIVS
ERGA . SE
CVIVS . OB . DEDICATION
SPORTVLAS . DEDIT
ADLECTIS . SING. XXXV DECVR
BOVILI [b]
SING. X. V. AVGVSTAL. SING * I
DEDIC. III IDVS AVG. SOSSIO PRISCO
ET COELIO APOLINARI . COS
CVRATORE
Q. SOSTO . AVGVSTIANO

Ad hujus baſis latera leguntur nomina Univerſitatum Mimorum , & illuſtrium comicorum numero ſexaginta , quæ brevitatis cauſa omittuntur ; quæque in celeberrimi Gruteriani Operis pag. MLXXXIX. recenſentur . Conſulatus nota ad annum 169. M. Aurelio imperante , pertinet .

TA-

a COMMUN. b BOVILLI .

Digitized by Google

XVI.



AGATA NERA

Digitized by Google

TABULA DECIMASEXTA.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

HIſtrionem inhac Tabula expreſſum ita larvatum, ut una cum ejus vultu caput etiam contegatur, ſi illius habitus, pileus, veſtis, corporis geſticulatio attendantur, Veneto il'i ſeni noſtrarum comœdiarum, quem nos dicimus *Pantalone*, eſſe arbitror comparandum. Illius veſtis pretioſa purpura conſtare dignoſcitur, quam ſupra dorſum humeroſque, manibus in eadem circumvolutis, intortam tenens, quæ tamen excurrit ad dexterum uſque pedem quaſi nudatum, niſi in quantum quodam calcei genere tenuiſſima pelle compacti, & tibiæ extremitati variis ligamentis alligati tegitur. Veſtis limbus ſub dextero brachio, quod concinne ſaltet, agitatur. De comœdorum veſtibus agens Donatus [a] inquit: *Paraſiti cum intortis palliis veniunt*. Utrum id poſſit etiam de hac perſona dici, & hic aliquid adferre luminis, me latet.

Celebriores inter antiquioris ævi ſcenicos ſaltatores, cantoreſque quidam Cajus Jocundus Exquilinæ Tribus adnumeratur, qui ob ſuam ſaltandi, canendi, nugandique peritiam immenſam non tantum populi multitudinem, verum etiam tres illos Imperatores Galbam, Othonem, & Vitellium ſpectatores meruit habere, quod nobis inſcriptio quædam marmorea, a Cl. Grutero [b] relata, teſtatur; quæ quum mendis corrupta eſſet, purgatior ab eruditiſſimo Antonio Franciſco Gorio refertur:

E 2 DIS.

a *Donat. in Vita Ter. circa fin.* b *Grut. To. I. Part. 2. pag.* CCCXXXI. *n.* 7. *Gori Inſcript. Etruſc. To. II. p.* 176.

Digitized by Google

DIS . MANIBVS
C. IOCVNDO . C. F. EXQ. QVI XII. AN. VIX
ET SEPTIES SPECTANTIB. PVB. IMPP.
SER. GAL. OTH. SAI. A. VIT. ET. P. R.
SALTAVIT . CANTAVIT ET PLACVIT
PRO IOCIS . QVIB. CVNCTOS . OBLECTABAT
SI QVID OBLECTAMENTI . APVD . VOS . EST
MANES INSONTEM REFICITE . ANIMVLAM
FAVSTVS NVNC INFAVSTVS
PATER FILIO ET SIBI FECIT

Quod egregii ſcenici actores Principibus viris in deliciis eſſent, e Dionis Epitome noſcitur, ipſe enim teſtatur a Caligula [a], ſaltoribus, & comicis addictiſſimo, Apellem comœdum ſummopere amatum fuiſſe, quin etiam Euthichianum hiſtrionicam artem profitentem [b], militiæ ducem fuiſſe factum, indeque ad Conſulatus dignitatem evectum.

TABULA XVII. ET XVIII.

CAPUT XVII., ET XVIII.

QUæ in proſpectu delineata exhibentur capita in Tabula XVII. e quodam marmoreo herma, quod apud me aſſervatur, non infimæ quidem cælaturæ, deſumpta hinc Faunum, ſeu Bacchum adoleſcentem, inde Silenum repræſentantia, ambo ad ſatyricos actores referri poſſunt, quæ perſonæ noſtra quoque tempeſtate in paſtoralibus Comœdiis immiſcentur, ſicut apud veteres in eorum ſcenicis celebritatibus, & Bacchanaliis.

Poſterior Tab. XVIII. parvum exhibet æreum ſimulacrum Græci artificii, quod acceptum referre debeo perilluſtri Domino Ignatio Maria Como, inter Neapolitanos viros eruditiſſimo, in celebrioribus Academiis cooptato, qui in præſentia Cardinalium, ac Summorum Pontificum hiſtoriam ſcribit.

Sedens repræſentatur, cruribus, humero, brachioque ſiniſtro

a *In Calig. pag.* 130. b *Idem pag.* 366.

Digitized by Google

XVII.



Digitized by Google

XVIII.



FIGVRA DI METALLO

Digitized by Google

ſtro,quo ſuæ tuniculæ limbum tenet,penitus nudatis. Ab ejus Larva, cujus bucca in modum cochleæ efformata, conſurgit coma, circa vultum contorta, & ſi ab externo corporis habitu argui fas eſt, concinnas cantiones videtur edere.

Dum hæc prælo mandantur, a D. Angelo Roccho, veterum monumentorum ſtudioſo, dono accepi marmoream inſcriptionem, quæ quum ad ſcenicam pertineat rem, hoc capite optimum duxi eam in medium adducere.

V. P. FABIVS. P. Ɔ L. FAVSTVS — PHOEBE VOCONTIA — V. POMPEIA. GN. L. SABBATIS
EMBOLIARIA ARTIS
OMNIVM ERODITA
HVNC FATVS SVVS PRESSIT
VIXIT ANNIS XII.

Vocabulum illud *Emboliaria* quid ſibi velit, ſupereſt conſiderandum. Illius meminit Plinius [a]. *Galeria Copiola Emboliaria reducta eſt in ſcenam*, necnon Salmaſius [b] in Notis ad Vopiſcum in Aureliano inquit: *Empolaria mulier (ita enim legendum, non Embolaria) eſt ſcenica, vel queſtuaria*. Hæc tamen correctio videtur non admittenda, ſi huic inſcriptioni, in qua aperte legitur *Emboliaria*, fides habenda ſit. Sequitur deinde laudatus Salmaſius: *Sed verius eſt Embolariam, vel Emboliariam mulierem ab Emboliis dictam, quorum mentio apud Ciceronem pro Sextio, ex Epiſtolis ad Atticum. Alibi oſtendemus Epiſodia, & Embolia eadem fuiſſe in rebus ſcenicis*. Idem prorſus ſentit Hermolaus Barbarus in Notis ad Plinium, qui de Epiſodiis & Embolliis verba faciens inquit: *Ut fortaſſe id Suetonio ſignificet, quum in Nerone dixit inter Pyrrhicarum argumenta Paſiphaë fabulam fuiſſe repræſentatam*. Erant ergo Embolia, quæ nunc Epiſodia, inter unum & alterum actum vulgo *Intermezzi*. Et ſicuti Exordiarii inter ſcenicos erant, ita quoque aderant Emboliarii, primi ad operis proloquium, ut ajunt nonnulli, ſecundi vero ad Epiſodia vulgo *Intermezzi*. Hoſce vero Mimos fuiſſe arbitror, qui ridiculariis geſticulationibus ſpe-

a *Plin. Hiſt. Natural. libr. 7. cap. 48.* b *Salmaſ. in Notis ibi p. 530.*

Digitized by Google

ſpectatores ad riſum moverent, inter quos *Phœbe* puella eo magis emicuit, quo magis in arte præcelluit, quamvis duodennis tantummodo fuerit. Hanc Inſcriptionem, ut ſecuriori ſervaretur cuſtodia, celeberrimo Kircheriano Muſeo dono dedi.

TABULA XIX.

CAPUT DECIMUMNONUM.

UT Veteribus larvas non ex partibus compoſitas, ſed ſolidas in uſu aliquando fuiſſe appareat, quibus faciem, caputque ſimul contegebant, hanc in præſenti Tabula Larvam aeream utrinque delineatam exhibeo, quæ apud Paulum Bugliellum Sabbathinum aſſervatur. Inferne mutilata hæc eſt, brevique tunicula, quæ genua non tangit, ac quodam palliolo ante, & poſt ſiniſtrum ejus humerum prolabente contegitur. Hujus generis pallio arcte adglomerato in quodam marmoreo diaglypho, quod apud PP. Societatis Ieſu in celeberrimo Rom. Collegii Muſeo cuſtoditur, indutus inſpicitur ſervus quidam, qui heri ſui currum præit, quod argumento eſt, perſonam hanc repræſentare aliquem ſcenicum ſervum, qui manibus pectori ſuperimpoſitis, animi deſignet mœſtitiam ſui, ut noſtris adhuc hiſce diebus in ſcena peragi videmus, quum a ſervis propria, vel dominorum ſuorum futilia infortunia ſcurriliter enarrantur.

Altera, quæ ſequitur, figura ex aere perſonati videtur adoleſcentuli, quem parva tunica ſuccincta contegit, & cujus clamydis, aut pallii limbi ab humeris prolabentes circumvolant, & qui grave pondus ſupra dorſum geſtare nititur. Nunc magis compoſite, & compte in ſcenam ſimiles ſervuli inducuntur.

De antiquorum ſervorum veſte inquit Donatus [a]: *Servi amictu exiguo conteguntur paupertatis antiquæ gratia, vel quod expeditiores agant.* De palliis eorumdem ait Begerus [b] fuiſſe *non longiora noſtratibus, ſed ampliora*; & apud eumdem

a *Donat. in vita Teren. circa finem.* b *Beger de Larvis cap.2.p.69.*


Digitized by Google



Figure di Metallo

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

dem eruditiſſima Daceria addit [a]: *Pallia in actoribus faſciarum uſum præſtitiſſe ordinarie, quæ plerumque collo devolverent, nunc ex altero ſuſpenderent humero, interdum etiam cinguli loco iis uterentur*. Quod verum eſſe patet ex his ſigillis, atque aliis diaglyphis, & ex picturis in Terentio Vaticano.

TABULA VIGESIMA

CAPUT VIGESIMUM.

Mirabili ſane artificio in una tantum ſignatoria gemma exculptas, & ex ea accurate delineatas, etſi prototypo grandiores, ſeptem Larvas præſens Tabula exhibet, quarum una crines habet intortos, & circa frontem calamiſtratos, & in occiput rejectos, reliquæ vero ſex, omnes ora habent inſtar conchylii, quatuor ſunt calvæ, duæ capillorum concinnitate non multum inter ſe differunt. Media inter omnes Larva eſt Silenica, cum barba in quinque cincinnos diſtributa. In Gorlæana collectione num. 331. pari Larvarum ſerie ſculptas gemma refertur, cujus in medio, quum una huic noſtræ Larvæ omnino ſimilis inſpiciatur, Socratis imaginem eam autumat repræſentare Gorlæus [b], ſex vero reliquas actores, qui in ſcena, perſonam Socratis agebant ad ipſum irridendum. An de mea hac gemma idem dicendum ſit, neſcio, quum enim Socratis vultus a Sileno non multum differat, vereor, ne tot Socrates multiplicentur, quot ſunt Sileni Larvæ. Dicam potius, ne omnino a Gorlæo diſſentiri videar, in hac gemma ruſticum Chorum ſex actoribus, quos inter Silenus primas tenet, conſtantem repræſentari. Chori hujuſmodi inter unum, aliumque comœdiæ actum inducebantur, & dum unus de Choro canebat, ſilebant ceteri, ut inquit Lambinus [c]: *Perſonæ, ex quibus conſtabat Chorus, & cantabant, & loquebantur, quamquam, quod ad locutionem pertinet, una perſona fortaſſe*

a *Ibidem*. b *Gori. T. 2. p. 32. n. 311.*

c *Lambin. in Art. Poet. Horatii ad ver. 193.*

toſſe pro omnibus loquebatur, *reliquis adſtantibus*, *& ſilentibus*, *ſive viri eſſent*, *ſive mulieres*. Donatus[a] vero Chorum, & cantores alternis vicibus ceciniſſe autumat: *Sed primo una perſona ſubſtituta eſt cantoribus*, *quæ alternis reſpondens Choro locupletavit*, *variavitque rem muſicam*, *cum altera*, *tum tertia*, *& ad poſtremum creſcente numero per actores diverſos perſonæ*, *pallæ*, *cothurni*, *ſocci*, *& ceteri ornatus &c. reperti*.

In extima hujus Tabulæ parte alia adeſt Larva bifrons duos complectens vultus, juvenilem unum hederæ foliis vittatum, ſenilem alium, & ſatyro ſimilem, cujuſmodi perſonæ vel in paſtoritiis comœdiis, vel in epiſodiis inducebantur, Chori enim his aliquando ſatyris conſtabant, ut inquit laudatus Lambinus[b]: *Satyros nudos introduxit inter actus tragœdiarum*, *vel ſtatim poſt tragœdias recitatas*. Aliquando Bacchantibus, modo honeſtis, gravibuſque perſonis, uti in Senecæ Tragœdiis videre eſt, prout poëſis argumentum requirebat, ut habitus, & cantus illi reſponderet, ſecundum Horatii præceptum.

Ultima Larva capite calvo, barba oblonga, & calamiſtrata, naſo ſimo, Socrati videtur non abſimilis, & ſub hac forte Philoſophi perſona ludimagiſtrum repræſentare voluerunt actores; quod non eſt a veritate prorſus alienum, quum Socratis perſonam in theatris introductam fuiſſe apud veteres certo ſciamus, poſtquam id ab Ariſtophane factum eſt ad eum irridendum in *Nubibus*, tanto auditorum oblectamento, ac tanta illius Philoſophi moderatione, ut, quum eorum plurimis illum cognoſcendi cupido inceſſiſſet, ipſe, ne hujuſmodi carerent voluptate, ſuique aſpectus cunctis facilius pateret, e ſubſellio ſurrexerit.

TA-

a *Donat. ubi ſupra circa medium.* b *Lamb. in Art. Poet. Horatii ad v. 221.*

Digitized by Google



AGATA SARDA

Digitized by Google

TABULA VIGESIMAPRIMA.
CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

QUanta cujuſcumque regionis, & linguæ comœdorum copia Romam venerit, facile ex tot ſcenicis monumentis, quæ apud Magnates, ceteroſque rerum antiquarum ſtudioſos ſumma cura aſſervantur, dignoſci fas eſt. Ego quidem Larvarum, & monumentorum ad comicos ſpectantium, ſecundum regionum varietatem geſtu, & veſte diverſos, non paucam mihi, etſi exigui laris viro, copiam collegi. Perſonarum hanc differentiam noſtra adhuc ætate in theatris uſurpatam videmus; ſolent enim in ea introduci modo Neapolitanus aliquis, modò Acerranus, modo Genuenſis, Venetus, Bononienſis, Hiſpanus, Gallus, Germanus, Armenus, aliarumque nationum actiones imitantes.

Perſona quam hæc Tabula exhibet, aliquem forte ex his exteris comicis repræſentabat, & omni cura è cujuſdam gemmæ prototypo deprompta eſt. Pedes ocreati ſunt, militaris habitus, Larva, ſeu barbam, ſeu crines ſpectes, ad ſenium compoſita. Pedum, ſeu baculum dextera tenet inflexum, & gradu citato tamquam veteranus militari munere inſignitus ſe ad expeditionem paratum oſtendit, niſi dicas militem glorioſum imitari, cujuſmodi miros quidem mimos Auguſti, Caligulæ, Neronis, aliorumque imperatorum temporibus floruiſſe ex antiquis libris ſcimus, & ex marmoreis inſcriptionibus compertum habemus, & ex hac præſertim cuidam inſigni comœdo, Severo, & Caracalla imperantibus, poſita:

M. AVRELIO . AVG. L.
ACILIO SETTENTRIONI
PANTOMIMO . SVI . TEMPORIS
PRIMO
HIERONICAE . SOLO . IN . VRBE
CORONATO
DIAPANTON . LIB. IMP. DD. NN.
SEVERI . ET . ANTONINI AVG.
PARASITO APOLLINIS
ARCHIERI SYNOD. IIII.
VIR. A . . . . . .
HVIC RESPVBLICA .
PRAENESTINA
OB INSIGNEM AMOREM . EIVS
ERGA
CIVES . PATRIAMQ.
POSTVLATV POPVLI . STATVAM
POSVIT .


In Præneſtinis ruderibus in immani baſi ſculpta reperta fuit. Ex ea vero, & ex aliis ſimilibus quantum Præneſtini in ſcena excellerent, apprime dignoſcitur, & præſertim Acilii Septemtriones, quod etiam alia in hoc opere relata monumenta teſtantur.

TABULA XXII.

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

DUodecim, quas in hac Tabula exhibeo Larvas ex quatuor ſupra triginta æreis, plerifque cum argenteis oculis, & excellenti ſane artificio elaboratis, quæ penes me ſunt, delegi; quarum prima crinibus circa frontem criſpatis, ore hiante inſtar conchylii, trucique aſpectu ad aliquid formidoloſi in ſcena repreſentandum videtur inſerviſſe, quamvis tamquam in dubium id aſſeri nequeat, quum ad ludicra quoque recitanda apta fuerit. Os ad formam conchylii in

XXII.



In Metallo

Digitized by Google

in hac, & aliis larvis effictum, forte vocem actoris in recitando, ut in tubis ſit, augebat.

Quæ ſequitur Larva Heroinam quamdam prægrandis magnitudinis videtur repræſentare. Talis quondam viſa eſt Romæ in Principis cujuſdam viri domeſtico theatro, ex qua tandem multi prodibant ſaltatores ſub illius veſte latentes, qui dein concinnas choreas ducebant.

Tertia Larva, cui caput quibuſdam faſciis circumdatum, & myſtaces in ſuperiori labro, ac mentum diductum, vultuſque naturalis, Orientali gemmarum mercatori hujus noſtræ ætatis aptari poteſt, eo prorſus modo, quo in noſtra theatra illum introducere ſolitum eſt.

Quarta, hederæ coronam, aureſque habens aſininas, fortaſſis Ignorantiam repræſentavit, ſeu potius quamdam Bacchantem, quarum plures apud Auguſtinum, & Gorlæum viſuntur,

Quinta juvenilem, & muliebrem exhibens formam, crineſque habens in occiput collectos, alicujus famulæ perſonam videtur repræſentare.

Sexta juvenili ætate, vultu nobili, & honeſto, fronteque pretioſis gemmis redimita, ad Heroicam Regiamque feminam repræſentandam forte inſervivit.

Septima, cui duæ pendent a fronte gemmæ, & quæ duos habet oblongos myſtaces, ad imitandum aliquem Orientis, Turcicique Imperii Præſidem poſſet adhiberi, quas quidem perſonas non raro in ſcenam inducere in more eſt.

Verumtamen omnium prorſus antiquarum Larvarum proprium uſum divinare futilis, incerti negocii eſſet, idemque pene, ac ſi quis ſomnia explicare curaret; multæ enim ad libidinem inventæ & efformatæ fuerunt.

Digitized by Google

TABULA XXIII.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

USum harum Larvarum ingenue fateor me neſcire, nam priſcorum hominum mores magna ex parte ignoramus, & nimius erat feſtorum numerus, in quibus his Larvis utebantur Antiqui, & fortaſſe quamplurimæ pro ingenio, nullaque certa ratione effictæ fuerant. Prima tamen, ob foramen, videtur alicubi infixa fuiſſe. Secunda patremfamilias fortaſſe demonſtrat. Sexta viridarii cuſtodem, & ſeptima hominem Orientalis regionis.


TABULA XXIV.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

EX octo Larvis, quæ in hac Tabula delineatæ ſunt, ambæ illæ, quæ primo ordine poſitæ viſuntur, muliebrem, & naturalem vultum præſeferenres, forte Prænestinas quaſdam actrices repræſentant; in antiquis enim maceriis repertæ fuerunt Præneſte urbe magni nominis ob celeberrimum Primigeniæ Fortunæ Oraculum, & qua plurimum comicos floruiſſe tum ex antiquis marmoreis inſcriptionibus, aliiſque ſcenicis monumentis, tum ex perampli theatri ruinis, quæ in ea cernuntur, arguere facile eſt.


Porro primo ſpacioſum quidem, & quod ego ſciam, numquam in ullo alio antiquo monumento adhuc compertum ornamentum præſefert; quatuor enim plumis ejus capitis ſinciput tegitur, totaque frons ſatis compte decoratur; præterea breves intortique crines ei ſunt ad faciei latera, & aureus gemmatuſque circulus circa frontem, quapropter ſeu Reginæ, ſeu alterius primariæ feminæ perſonam repræſentaſſe putanda eſt; altera vero calantica, & brevibus, ac calamiſtratis crinibus ornata ad aulicam famulam repræſentandam adhiberi poſſet.

Duæ illæ, quæ in medio delineatæ inſpiciuntur, viriles



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

les Larvæ, informi ore, ad timorem, terroremque fortaſſis ingerendum, factæ ſunt.

Quinta ad ſenilem potius ætatem indicandam propria, domeſtico pileolo contecta caput, alicui patrifamilias aptari poſſet.

Prototypus ſextæ Larvæ, quæ ſubſequitur, ornatæ ſerica calantica, cujus inſtitæ retrorſum procidunt, paucis capillis circa vultum intortis, a me emptus, una cum nonnullis argenteis Caracallæ numiſmatibus, in prærupto montanoque nemore, quod nuncupatur *l'Ariano*, Veliternæ ditionis repertus eſt. Hujus vetuſtiſſimæ civitatis, quæ ſuperſunt monumenta, inter quæ nonnullæ theatri ruinæ, a Rev. Patre Joſepho Roccho Vulpio Societatis Jeſu Presbytero pererudite explicantur Tomo Quarto pag. 70. *Veteris Latii*, ubi tria ex poemate Sexti Turpilii, *Veliterna* nuncupato, refert carmina, per quæ vigens apud veteres Veliternenſes mulieres calanticæ uſus aperte dignoſcitur, quem triginta circiter abhinc annis denuo reſumptum fuiſſe idem enarrat eruditiſſimus auctor. Quod capitis ornamentum, cum ab eo hujus Larvæ non differat, mihi argumento eſt, ut opinor, calanticas hujuſmodi fuiſſe adhibitas tunc, cum nonnullorum galericulorum uſus exolevit, quibus Larvarum loco uti mos erat; nam Pitiſcus [a] ait: *Romæ ante Livium Andronicum galeris, non perſonis utebantur.*

Septima larva, cui crines ſunt collecti, & parumper contorti, elata & aperta facie, & quæ dentes, & linguam extra os protendit, ſymbolum veritatis eſſe videtur, capitique ejus margaritis contexta corona ſuperimpoſita conſonat; ſi cui enim veridico, & ſincero aliquando quid mali contingat, tempore veritatis vindice, patrocinante, a cordatis viris omni honore cohoneſtatur. De hoc autem alibi fuſius ediſſeram.

Octava bufonis ſimilitudinem præſefert, ore præter modum hiante, forte ad delectandum ſimul, & ſui timorem inſpectoribus ingerendum.

TA-

---

a *Pitiſcus in v.* Perſona.

TABULA XXV.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

Alias octo Larvas, ſex ſcilicet æreis laminis anaglyptice elaboratas, duas vero poſtremas gemmis inciſas præſens Tabula exhibet.

Earum prima juvenem mulierem repræſentat crinibus compte circa frontem contortis, qui ad formoſum ſane vultum hinc inde procidunt calamiſtrati. Antiquitus muliebres Larvæ in more adhuc non erant. De hac re Pitiſcum conſule. An vero mulieres ſine Larvis comœdias agerent, omnino me latet. Non credas, ſi originem theatrorum ſpectes. Cito tamen mulieres in ſcenam fuerunt invectæ, eaſque primus invexit Polyphradmonis filius Athenienſis[a]. Neophron vero Sicionius etiam pædagogi addidit perſonam, prout Suida teſtatur.

Quæ ſequitur Larva, naturali capillamento, minaci vultu thraſonem quemdam deſignat, qui ampullas projiciens, & fortitudinem verboſitate tantum oſtentans, in prœlio arripit fugam, quæ perſona pluries in theatris noſtris repræſentata eſt,

Tertia juvenilis ætatis, capillis compte circa vultum contortis, Germanum aliquem referre poſſet.

Quartam vero, auribus, capillis, & barba mire brevibus, ob vultus rotunditatem alicui antiquo Batavo, quorum plurimos militiæ Romanæ nomen dare conſueviſſe ex inſcriptionibus dignoſcitur, referendam cenſeo.

Quinta adoleſcentulum exhibet cum pileolo, cui loco aurium, duæ ſunt anſæ.


Sexta, ſi vultus lineamenta conſideremus, gravem virum, & qui alicujus ſibi cari triſte infortunium defleat, imitatur:

[b] Horatii præceptum eſt in Arte poetica, ut perſona in toto opere a poetis ſervetur ſemper eadem:

Sit

a *Suidas in voc.* Νέοφρον & Φρύνιχος.


b *Horat. ibi ver.* 123.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Sit . . . . . . flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.

Idem prorſus in Scenis ordo ſervabatur, quare & triſtes, & ludicræ, ac denique cujuſcumque generis larvæ reperiuntur.

TABULA XXVI.

CAPUT VIGESIMVMSEXTUM.

EX undecim, quæ in hac Tabula exhibentur, Larvis duæ in anaglyphis, ceteræ in aliis gemmis inciſæ, ut hic delineatæ viſuntur, prior & tertia Bacchanalibus, agreſtibuſque ludis celebrandis forte inſervierunt; ſecunda monſtroſæ prorſus formæ, & coloſſalis magnitudinis, ex illis eſſe videtur, uti alibi adnotavimus, apud veteres, quas ad metum, quaſi umbræ eſſent, & phantaſmata, ingerendum adhibere mos erat. Plautus [a] in Amphitr. id plane teſtatur.

Larva umbratilis. tu me minis territas?

Ex Feſto [b] quid Maniæ, & Larvæ ſibi vellent dignoſcitur: *Manias*, inquit ille, *ait Ælius Stilo, ficta quædam eſſe ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii Manias appellant. Manias autem, quas nutrices minitantur pueris parvulis eſſe Larvas, ideſt Manes, quos Deos, Deaſque putabant, quoſque ab inferis ad ſuperos emanare credebant.* Alii vero ſecundum Laurentium in ſua Polymathia, ajunt Maniam Larium fuiſſe genetricem: *Quorum Larium proprium ac peculiare eſt*, inquit Paccichellus, *inſaniam mittere.* Ita perſonatos nonnullos adoleſcentulos Socrati noctu domum repetenti ſeſe obviam feciſſe inquit Ælianus, *ipſe vero eos aſpexit imperturbatus.*

Quarta, & quinta bifrons Larva paſtores, agreſteſque armentorum cuſtodes in feſtis ruralibus repræſentaverunt.

Sexto loco videre eſt quaſi numiſma aliquod, ubi tres viſuntur exculptæ imagines, prima ſcilicet juvenis cujuſdam leonis pellem ſupra dexteram geſtantis, vultuque, & lævæ ma-

a *Plaut. ibi act. IV. ſc. 2.*
b *Feſt. de verb. ſignif. lib. 12. voc. Maniæ.*

Digitized by Google

manus actione laborem ſuum exprimentis. Altera ſiniſtra coronam tenet, dextraque extenſa vicinam ſibi arborem indigitat, & ſupra dorſum juvenem defert, quod fortaſſis humanæ vitæ ſymbolum eſt, quum nomen decuſque, niſi ſudore plurimo, & poſt plures exactos labores ad Herculis exemplum, nequeant comparari.

Larvas, quæ ſequuntur, in feſtis Bacchanalibus exiſtimo adhibitas.

TABULA XXVII.
CAPUT XXVII.

Optimi ſane artificii Larvam gemma inciſam naturali grandiorem primo loco poſitam præſens Tabula exhibet; barbatam, naſo ſimo, magno capillamento capiti circumvoluto, & in frontis medio ingenti quadam gemma colligato; quum autem inter cilia Sol cernatur effictus, alicui Apollinis ſacerdoti eam inſerviſſe arbitror, ſeu cuique alii, qui in Apollinaribus celebritatibus carmina in ejuſdem Numinis honorem recitaret.

Altera ſenilis imago vili panno, & philoſophico prorſus more induta, capite vittato, pedibus, dextroque brachio nudis, ſuper baculum innixa, lævamque manum ſupra pectus ſenili barba contectam tenens, eodemque brachio exerto, Democritum futiles hominum inſanias ridentem repræſentat. Huic omnino ſimilem imaginem refert Leonardus Auguſtinus [a].

Poſtrema vero figura, quæ inter cetera meæ collectionis ſcenica metalla connumeratur, adoleſcentulum quemdam repræſentat, qui naturali capillamento, brevique quaſi ſubucula indutus, pedibus femoribuſque nudatis, colligatiſque poſt tergus manibus, & rotundæ baſi verbena circumdatæ ſuperinſidens vel mutam agit perſonam, vel ſecum ipſe ſervilem ſuam conditionem deplorat.

TA-

a *T. 2. Tab. 95.*

XXVII.



Smeraldo



Cameo



Fig.a di Metallo

Digitized by Google

Digitized by Google

XXIX.



PASTE

S P F

TABULA XXVIII.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

DUÆ aliæ in hac Tabula, ſupra jam relatis omnino ſimiles, ſcenicæ Larvæ repræſentantur, verum his caput eſt omnino detectum, totumque corpus Græco pallio ſuperindutum. Ambæ baculis innituntur, una vero earum oris, & barbæ extremitatem digitis leviter tangit, quaſi riſui indulgeat, altera ſub mento barbaque ſiniſtram abſcondit manum, fortaſſe ad modum plorantis, quæ viciſſim Heracliti, & Democriti perſonas referunt.

Duarum harum Græco, & quidem optimo artificio inciſarum gemmarum Orientalium mihi ab eruditiſſimo R. P. Petro Piovenio Soc. Jeſu Presbytero dono perhumaniter ectypum datum eſt, quarum typi in Parmenſi Muſeo, cum pluribus aliis ſcenicis monumentis aſſervantur; aliique permulti tam in celeberrimo Muſeo Mediceo, quam aliorum perilluſtrium virorum, pene his omnino ſimiles viſuntur, quibus ex omnibus, præſertimque ex his a me collectis, facile argui poteſt, quam frequens apud Romanos priſcos in ſuis adeo diverſis ſcenicis celebritatibus foret Larvarum uſus.

TABULA XXIX.

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

ETſi noſtris hiſce temporibus in ſcenam ſaltatores ridicule perſonati introducantur, illi tamen cum antiquis apud Romanos comparari non valent. En igitur duos antiquos hiſtriones exhibeo, quorum ridiculam ſimul, ac terrificam potius figuram ne concipere quidem fas eſſet. Horum unus ſaltus edere videtur, pedes habens ocreatos, in reliquis vero uſque ad media femora leviſſimo tegitur velo, cujus limbi ob corporis geſticulationem poſt humeros prolabuntur, aeremque verberant. Brachium tantummodo cum

dextera manu apparet, eaque parvulum baculi, fortaſſis ærei, fragmentum in tunicæ ſinum immittit, quod collidebat fortaſſe alio ſimili bacillo, quem ſiniſtra poſt humeros abſcondit. Ex ejus Larva pileolus binis extremitatibus oritur, necnon immaniter aperit os, in modum conchilii contextum tenuiſſimis lineis, ex eadem veli textura, e cujus foramine naturale ſaltantis os apparet.

Altera e conſpectu poſita perſona, capite calvo, duobus tantum capillorum cincinnis, dextero videtur oculo luſciosa; ſiniſtro vero e ſua cavitate eruto, ut mancus appareat, ac riſum moveat, brachia poſt tergum tenet, ventrem habet detectum, præterquamquod tenuiſſima purpura ſeu velo amicitur, quo caput & pectus tegitur. Femoralia & caligæ non continuant, & ſupra ſuperiorem pedis partem cinguntur, ceterum ſatis concinnam crurium, & pedum habitudinem ad ſaltationem peragendam exprimit ſcurrili prorſus hiſtrionum modo, quos inter, Auguſto imperante, Pylades, ejuſque diſcipulus Ilas, nec non Neronis, ceterorumque Imperatorum temporibus, alii plures præcellentes fuere.

TABULA TRIGESIMA.

CAPUT TRIGESIMUM.

HArum Larvarum prior, & penultima, vultum Silenicum præferentes, forte actoribus in ruſticis celebritatibus inſervierunt.

Ultima vero, ſi crines circa frontem cincinnati, & in occiput tribus longis calamiſtris prolabentes, ac vultus ſpecies attendantur, alicujus hiſtrionicæ mulieris videtur perſona.

Quinta, quæ medium tenet, optimo ſane artificio in gemma ſignatoria inciſa, & ſuo prototypo major προτομὴ eſt mulieris heroico vultu duabus ſub collo, ac aliis duabus ſupra caput Larvis illi adnexis. Vultus princeps in colli portionem deſinens Palladis ſcientiarum Deæ eſſe dignoſci-

ſcitur, cujus crines in fronte ſubducti, & in occiput prolabentes, barbam effingunt alteri ſenili Larvæ, e cujus ore lingua prominet acuminata, & cujus fronti, & capillis alia ſuperadditur Larva calvo capite, & ore lineis tenuiſſimis diſtincto, quæ ambæ Deæ galeam componunt, ejus vero pectus alia non abſimili conflatur ſenili larva, capite pariter calvo, quo Deæ humeri pars tegitur, vultu deorſum verſo.

Hujus barbæ alia adnectitur juvenilis Larva, quæ loco Gorgonis Deæ pectori adhæret, & ferme anguineos habet crines.

Qui quatuor vultus προτομὴν Palladis componunt, quum aliquid abſtruſi deſignent, ab eruditis enarrandi erunt; de eis vero, quid ego ſentiam, proferam. Si illos veris imaginibus referri liceat, poſtremum illum ſenilem Socratem fortaſſis, alium vero ei adnexum juvenilis indolis Alcibiadem, aut alium ejus diſcipulum repræſentare crediderim, ni potius poetæ Horatii imaginem hic referat, quum illi per Cl. Urſinum in lucem editæ ſimilis ſit, nec non gemmæ ſignatoriæ, quæ apud me eſt, & nomine inſignitur, quam in lucem proferam Deo favente in XL. Diſſertationibus epiſtolaribus.

Duas vero reliquas, quibus Palladis caput conflatur, unam barbatam, & lingua exerta Platoni, aliam calvam Carneadi arbitror aſſimilandas.

Si autem divinari, & hunc Larvarum acervum ſymbolice lubeat interpretari, per eas Sapientiam ſignatam dixerim ſub Palladis figura, & circumſtare prudentiam ſenilem, & philoſophicas doctrinas, necnon eloquentiam, & poëſim, quarum primam prioris lingua in modum acuminati ac ferme trabalis clavi efficta præfigurat, alteram vero juvenilis ille vultus indicare poteſt, quum florenti ætate poëſis maxime vigeat.

Digitized by Google

TABULA TRIGESIMAPRIMA.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

IMago, quam ſtantem hic vides, in quadam gemma inciſa eſt, & larvatam perſonam exhibet, cui breves ſunt crines, & ſtat, ut ceteræ, hiante ore, æreum, ſeu oſſeum fruſtulum læva tenet manu, quantum conjectari fas eſt, ſerratum, dextera vero claviculæ ſpeciem ſimiliter, ut opinor, æreæ, quo percuſſo in ſcena canebat, & ſaltabat viciſſim. In celeberrima Lucernarum, quam Sanctes Bartolus collegit, & publici juris fecit, collectione una inter ceteras num. 23. refertur, per quam quædam exhibetur Bacchans utrem ſuper humeros geſtans, ac quinque globulos, e totidem filis pendentes, ac circulo cuidam, quem illa dextra gerit, circumvolutos; quod inſtrumentum mihi videtur huic pene ſimile, quod perſona in noſtra Tabula delineata gerit.

In hoc ſcenico actore præ ceteris conſideranda venit veſtis illa, qua induitur, quæque tenuiſſima contexta eſſe purpura dignoſcitur. Ex ea actoris tunica, & femoralia ſimul conflantur, & adhæret tum brachiis, tum toti corpori ad manus & pedes uſque, qui nudi apparent. Sin autem alicui recentium actorum ſimilem dicere velimus, nulli ſimilius, quam Veneto portitori, canenti ridiculum quid, dicas. Actor hujuſmodi adeo forte induſtrius in choreis fuit, ut ejus memoriam in hac gemma ſignatoria veteres æternam ſervare voluerint. Quum vero in ſcenicis ludis ſumma opus eſſet impenſa, Curatores, ſeu præſides comicorum fiebant, ut ex inſcriptionibus patet apud Gruterum [a].

DECVRIONVM. COCCEI. L. CVRAT.
STRATONE. COMOEDO
IBYCO. PSALTE. CHRESTO. SVMPTVAR.
TARENTINO. SVMPTVAR.
IN. FR. P. XL. IN. AGR. P. XL.

TA-

a. Grut. To. 1. par. 2. pag. CCCXXXI.

XXXI.



AGATA TRASPARENTE

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXII.



CAMEO COL VISO DI COLOR DI CARNE

Digitized by Google

TABULA TRIGESIMASECUNDA.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM,

PLeroſque ſcenicos actores purpura indutos fuiſſe teſtis eſt in Luculli vita Plutarchus, ut dicemus inferius. De ſcenicis veſtibus loquens Donatus [a]: *Comicis*, ait, *ſenibus candidus veſtitus inducitur, quod iis antiquiſſimus veſtitus fuiſſe memoratur; adoleſcentibus diſcolor attribuitur*, ut apud Terentium in Eunucho videre eſt; temporum vero ſucceſſu, ſaltem Luculli ætate, veſtium color fuit immutatus. Vide nunc quam ex mea gemmarum collectione ſenilem perſonam anaglypho cælatam præſens Tabula exhibet, tenuiſſima ſuperindutam veſte purpurea, manicis uſque ad carpum manus ſtrictis, ac ſub illius præpinguem ventrem cincta, inferius vero laxiore circa femora tibiaſque, & aliquantiſper prope pedes elevata. Teniæ duæ extremis tibiis circumvolvuntur. Hic e conſpectu delineatus, ei, quem Cl. Auguſtinus Gemma 96. refert, & Democritum reputat, omnino ſimilis eſt, & vultu, ac veſte, totoque corporis habitu ab eo nulla in parte diſformis. Baculo recurvo ſiniſtra innititur, dextram vero prope pectus ſub barba calamiſtrata abſconditam tenet, capite calvo, videturque aliorum geſtus deridendo imitari, qua in re plurimum Stratocles, & Demetrius præcelluere, ut innuit Quintilianus [b]: *Maximos actores comædiarum Demetrium & Stratoclem placere diverſis virtutibus vidimus: ſed illud minus mirum, quod alter Deos, & juvenes, & bonos patres, ſervoſque, & matronas, & graves anus optime, alter acres ſenes, callidos ſervos, paraſitos, lenones, & omnia agitatiora melius; fuit enim natura diverſa. Nam vox quoque Demetrii jucundior, illius acrior erat* [c]. Juvenalis vero de Græcis loquens actoribus inquit:

> *Aut Stratocles aut cum molli Demetrius Hæmo*
> *Natio comæda eſt.*

TA-

a *Donat. in vita Teren. circa finem.*
b *Quintil. Inſtit. Orat. lib.* XI. *cap.* 3. *circa finem.*
c *Juven. Sat.* 3. *ver.* 99.

Digitized by Google

TABULA TRIGESIMATERTIA.

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

QUatuor imagines , quas hìc vides , duæ ex ære , duæ vero ex gemmis inciſis ſumptæ ſunt . Prima captivum quemdam , tunica tantum contectum uſque genua repræſentat , nudis pedibus , brachiiſque , & toto fortaſſe pectore . Stat ipſe e conſpectu manibus protenſis ac ſuperpoſitis , caput habet opertum & Larvam hiante ore ; maxima autem videtur mœſtitia affectus ſecum ipſe triſte vel proprium , vel heri ſui infortunium enarrare , vel potius deflere .

In ſuo de reconditis antiquorum lucernis opere huic omnino ſimilem ex æreo annulo figuram in lucem prodidit Fortunius Licetus [a] ibique morem refert Antiquorum, qui cum defunctorum manibus parentarent , horum Mimorum chorum ſolebant inducere , quorum erat ſaltare , dum inter eos primas tenens , ut Gutheri verbis eloquar : *ſolus Archimimus facta ac dicta viri* , demortui ſcilicet , qui pone ſequebatur, ***imitabatur***, unumque ex his autumat , cujus figuram attulit , quamobrem hic etiam noſter inter illos adnumerari poteſt , quamvis Mimi non ſemper in funeribus fuerint adhibiti .

Altera , quæ ſequitur , perſona ſeminuda philoſophico more , vultu ſenili , quæque digitis dextræ manus arrectis , quaſi carmina recitat , oſcillum , quod ſiniſtra tenet , intuetur . Plures Romæ ſtatuas huic ſimiles videre eſt , ac præcipue in atrio Palatii Juſtinianorum marmoribus illuſtri . Comœdum ſedentem , Larvamque ex abaco quodam , ſuper quo duæ aliæ arreptam intuentem publici juris fecit Cl.Fulvius Urſinus , quod ſub hujus initium operis innuimus cap. 6. Plinius [b] de Marco Ofilio Hilaro comœdo narrat , quod quum is maximo ab auditoribus plauſu exceptus fuiſſet in theatro , dum die ſuo natali inter convivas Larvam , qua uſus erat , contemplaretur extemplo fato ceſſit ſuo : *Perſonam,*

a *Fort. Licet. pag. 630.*

b *Plin. Hiſt. Nat. lib. 7. cap. 53.*

Digitized by Google

XXXIII



Metallo



Corniola



Agata Sarda



Lucerna di Metallo

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

nam, inquit, *ejus diei acceptam intuens*, *coronam e capite ſuo in eam tranſtulit*, *tali habitu rigens nullo ſentiente*.

Tertia huic omnino ſimilis eſt. Horum uterque comœdorum oſcillum intuens vel comicus, vel Poeta eſt, qui in aliqua comœdia, quam forte meditatur, ea Larva uti vult, vel forte uſus eſt. Rupi primus inſidet. Euripidem quum ſuas ſcriberet Tragœdias ſpeluncas petere, ibique inter horrorem & ſolitudinem tragica operis argumenta commentum eſſe Plutarchus teſtatum reliquit: ex hoc tamen Euripidem hic indigitari non adfirmo.

Super lignum torno elaboratum terræ infixum ſedet alter, quem prope baculus terræ ſimiliter infixus, in ſuperiore cujus parte aquilinum caput cernitur. In Dactyliotheca Cl. Gerlæi par. 2. fig. 306. aquilæ caput Socratis Larvæ adnexum refertur, at in re noſtra hunc baculum ornamento potius tribuerem, ni ſymbolice exprimat comœdi illius præ cæteris ſui temporis excellentiam, ſicuti aquila aves ceteras antecellit, uti ad Socratis indicandam ſapientiam, aquilam illi additam fuiſſe ſentit Gorlæus.

Sequitur lucerna, ubi Larva capillis tortis, qui hinc inde ſuper aures procidunt, efficta eſt. Nil habet notatione dignum, niſi quod in quodam columbario prope Latinam viam reperta fuerit, ex qua, aliiſque hujuſmodi Larvis, ac ſepulcralibus inſcriptionibus eruitur, ibi comœdos ſepultos fuiſſe.

TABULA TRIGESIMAQUARTA.
CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM.

HÆc præter modum informis, ac ridicula imago accurato ſtudio e quadam Latino more elaborata gemma delineata, ſenilem repræſentat perſonam recurvo corpore, & citato greſſu ambulantem, cui caput in modum pyramidis acuminatus pileus tegit. Vultus naturalis eſt, ſed mento oblongo, tenui, ac pene acuto. Hic idem ſenis manibus mancus quid utri ſimile ſupra dorſum geſtat, quaſi eo pro vidulo utatur in itinere. Si locus divinandi daretur, fiſtulam, ſeu

Digitized by Google

ſeu tibiam utricularem crederem. Mihi equidem non videtur hæc figura ad Larvas pertinere. Aliam huic ſimilem numquam vidi, quamvis plurima abſurda reperi chimeræ ſymbola. Illius igitur enarrationem me potius latere fatebor, quam divinando abſona dicere. Eam autem hic libuit opponere, quoniam etſi comicam perſonam non repræſentet, ad rem tamen theatralem conducere puto. Hanc gemmam curis eruditi D. Jacobi Vicinelli civis Romani, Sacræque Cæſareæ Majeſtatis ab Epiſtolis acceptam refero. Unum verbum addam: nempe ut eruditi penſitent, an hic deſignetur ſenilis ætas morti proxima, quod tot folliculi fortaſſe innuunt, nam *homo bulla*, ut ait Varro in præfatione operis de Re ruſtica, *& eo magis ſenex*. Qui quamvis ad finem vitæ properet citiſſimo gradu, tamen avaritia premitur, quod monſtrat illud neſcio quid dorſo ejus incumbens, a ranæ forma, quæ avaritiæ ſymbolum eſt, non abhorrens, atque duo tridentes pro manibus infixi ſunt brachiis, quaſi habeat manus uncas ad corradendum lucellum, minime promptas ad dandum. Id etiam Ciceronis [a] ſententiæ reſpondet, qui ait: *Avaritia vero ſenilis quid ſibi velit non intelligo, quo minus viæ reſtat, plus viatici quærit*.

TABULA TRIGESIMAQUINTA.

CAPUT TRIGESIMUMQUINTUM.

PRima hujus Tabulæ figura in annuli aurei gemma inciſa, una cum nonnullis ſemiuſtis oſſibus in quadam marmorea urna ex eodem Columbario eruta, aliam exhibet ſenilem perſonam nudam, recurvam, & ante pectus gibboſam, manibus obtruncatis, pedibuſque ad ſaltationem compoſitis, variis e manibus, baculo & barba pendentibus globulis, quorum unus ſuper pedis malleolum inſpicitur. Hæc etiam quid ſibi velit, & quiſnam fuerit ejus uſus, neſcio. Si locus, ubi gemma inventa eſt, foret conſiderandus, quod utique non cenſeo, nam in hujuſmodi ſarcophagis plura huic ſi- mi-

a *Cicero de Senect. circa finem*.

Digitized by Google

XXXV.



NICCOLO AGATA

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXVI.



CORNIOLA

Digitized by Google

Digitized by Google

milia reperiuntur cælata opera, auro quoque concluſa, quæ ſolum, aut ea illis, qui tumulati fuere, in uſu fuiſſe, aut illuc in amoris argumentum ab eorum conſanguineis amicisque fuiſſe conlata, demonſtrant, ſi inquam, inventionis locus foret conſiderandus, dicerem per eam vitæ vanitatem repræſentari, qua dum fruimur, ſenſim annorum & ſenectutis pondere gravamur, & reddimur debiliores, ac inſtar bullarum, quas pueri ſapone efformant, evaneſcimus. Forte huic gemmæ Horatii [a] carmina conveniunt:

. . . . . . pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Sedentis aliam mulieris figuram juvenilis prorſus ætatis, nudo corpore, cui pedum adhæret, quæ dextra virilem Larvam ſupra femur innixam tenet, & crines in occiput colligatos habet, Thaliam comœdiæ præſidem Cl. Auguſtinus autumat repræſentare; in ſuo enim *De antiquis gemmis* opere, quamdam huic noſtræ ſimillimam mulierem profert ore & veſtium ornatu parum honeſto, ad comœdiæ licentiam fortaſſis ſignificandam. Verumtamen me non latet, Muſas omnes tam marmore exculptas, quam æreis Pomponiæ Familiæ Conſularibus numiſmatibus cælatas, ſi unam Muſagetis Herculis imaginem excipias, talaribus veſtibus eſſe contectas. Si vero per gemmas hujuſmodi certas perſonas multoties repræſentari dicere velimus, quibus in theatris ſpectatores plauſerunt, hac gemma mulier fortaſſis hujuſmodi repræſentabitur, eo magis, quod, ut infra adnotabo, plures viſuntur in antiquis monumentis perſonatæ, ac ſeminudæ mulieres, quæ hiſtrionica arte præcelluere.

TABULA XXXVI.

CAPUT TRIGESIMUMSEXTUM.

QUam præſens Tabula affabre cælatam exhibet gemmam ſignatoriam Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Philippo Cardinali Gualterio dono dedi, & eam poſtmodum ex illius hæreditate D.Antonius Borionius, a Boriono autem anti-

 qua-

a Horat. de arte Poët. ver. 9.

quarum gemmarum amantiſſimus Eques Ugo Smilhſon Britannus compararunt.

Comicus ſenex per hanc repræſentatur, planipes, tunica & pallio, tenuiſſima purpura contexto, ad genua prope producto, indutus, & Larva calvo capite perſonatus, qua, ut ait Pollux, ad ſenilem repræſentandam perſonam uti mos erat, ſpiſſa barba, ore hiante ad gaudium riſumque compoſito. Supra ſphericam baſim una cum pedo viſitur juvenile oſcillum,

Duæ hujuſmodi Larvæ tam diſſimiles mihi argumento ſunt, figuram hanc alicujus Pantomimi perſonam exhibere. quorum erat diverſas in theatro perſonas repræſentare. Quod vero comicus hic ſiniſtra ornatam catenam ovalis figuræ tenere videatur, hoc fortaſſe innuit, præmia reportaſſe ob bene actam utramque perſonam, quapropter ad facti memoriam ſimili ſe forma in gemma cælari voluerit. Quæ autem in ſcenicis magni nominis actoribus remunerandis Romani Populi fuerit largitas, & munificentia, & quare comœdi ingentem divitiarum vim ſibi comparaverint, apud Ciceronem, & alios videre eſt.

TABULA XXXVII.

CAPUT TRIGESIMUMSEPTIMUM.

QUatuor hujus Tabulæ figurarum, quarum tres in gemmis inciſæ ſunt, una vero ex ære conflata, prima, ſi illius manus ſimul junctæ femoribus ſuperpoſitæ, ac ejus Larva prægrandis oris, e qua in duos limbos pileolus deſinens derivatur, conſiderentur, ſervi perſona videtur. Baſi ad inſtar ſcrinii inſidet, brevi tunicula præcingitur, qua etiam femoralia componuntur, tibiis decuſſatis. Begerus ait in ſuo *de Larvis* opere, eos, qui in theatris ſervi perſonam repræſentabant, Larva quadam uti fuiſſe ſolitos, quæ non ad ceterarum modum circa vultum actoris ornamento fuiſſet, ſed in pileoli rotundi modum duntaxat terminaret. Servus hic ſuper humeros ſcrinium heri ſui juſſu geſtaſſe videtur, quod cum humi, ſe ſe reficiendi gratia, depoſuerit, vul-



Ametiſto



Figura di Metallo



In Onice



In Agata Venata

vultu ad mœſtitiam compoſito ſuæ luget ſervitutis duritiem. Huic omnino ſimiles perſonas per ridicularios quoſdam ſervos crederem in theatris noſtris repræſentari, qui ob delatum Domini juſſu vidulum defatigati, eum in terram projiciunt, illique ſuper inſidentes, longam, ac jocoſis plenam dicteriis auditoribus habent concionem.

Secunda pueri cujuſdam figura Baccho non abſimilis, tunicula induta, tibiis nudis, ac utre ſuperinſidens, larvata, manuſque poſt tergum converſas tenens, primam Theatrorum, Larvarumque originem innuere videtur, quæ ex feſtis in Liberi honorem ab Atticæ Villicis, vindemiarum tempore, fieri ſolitis ſua traxere primordia; capro enim mactato, uno tantum pede ſuper utrem inflatum & illitum ſaltabant, ſubſannante interim, in modum ruralis theatri, populo circumſpectante, ſi cuidam, prout facilis erat negocii, in terram labi contigiſſet. Quod innuere videtur Virgilius [a] Georg. Secundo:

Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theſeidæ poſuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſalıere per utres.

De Italis poſtea loquens, ad quos uſus Larvarum, & hic ſaliendi mos pervenerat, inquit:

[b] *Nec non Auſonii, Troja gens miſſa, coloni*
Verſibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto,
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis.

Hujus figuræ vultus referri poteſt vel ad mœſtitiam, quod male ceſſerit ſaltus ſupra utrem, vel ad ſcurrilitatem, ut conjici potius poteſt ex manibus poſt tergum retortis, vel etiam ad jactationem quod bene, & ex ſententia ſaltaverit, dum in utre, quaſi ſuæ victoriæ ſigno equitat. Adi, ſi lubet Gorlæum, qui Tabula 308. tribus exhibet diverſis modis ſaltum, quem ſupra utrem plures ſatyri edunt.

Tertia, quæ ſequitur, perſona in proſpectu delineata, virum deſignat purpurea, ſed tenui tunicula indutum, femoribus, cruribus, brachiiſque ferme nudum, manibus

H 2 clau-

a *Virg. ibi. v. 382.* b *ibid. v. 385.*

clauſis, & pectori admotis, ac larva prægrandis oris in duos limbos hinc inde deſinente perſonatum; eo forte corporis geſtu & habitu hic repræſentatur, quo in ſcena magno ſpectatorum plauſu recitaverat. Ita opinandi mihi argumento eſt ramus ille palmæ, qui juxta hujus perſonæ pedes appoſitus inſpicitur.

Quarta perſona vero mulier eſt adoleſcentula, pedum ſiniſtra, Larvam dextra geſtans, & Thaliam Muſam videtur repræſentare, nam hic honeſto, gravique vultu, & talari induta veſte effingitur, eo prorſus modo, quo in veteribus anaglypticis monimentis exculpta eſt, cui mire convenit verſus.

Comica vita Thalia tibi eſt, moreſque reperti.

TABULA XXXVIII.

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM.

IN pluribus ſarcophagis ſeu in fronte, ſeu ad eorum angulos exculptæ nonnumquam Larvæ conſpiciuntur, & quidem non ad ornatum tantum, ut multi opinantur, at quandoque ut ibi comicos, qui illis utentes celebres in ſcena evaſere, ſepultos fuiſſe dignoſcatur, quod & ab inſcriptionibus, quæ in ipſis ſarcophagis inſcriptæ occurrunt, & ab eorumdem comicorum vultibus ſub ipſis Larvis latentibus arguitur. Duas hujus generis coloſſeas perſonas repræſentantes larvas in quodam ſarcophago in Muſeo RR. PP. Societatis Jeſu exiſtente exculptas hæc Tabula exhibet, ſub quibus tum oculi, tum ora naturalia comicorum cernuntur; quorum frontes regalibus vittis, vultus calamiſtratis crinibus, mentum vero barba, & muſtaciis contortis, barbarico more, exornantur. Fortaſſis perſonas induiſſe eoſdem illos comicos, qui ibi ſepulti fuere, exiſtimarem. Quod vero perſonæ hujuſmodi magno ſpectatorum plauſu, in ſcenam induci ſolerent, idem Bergerus [a] in laudato opere teſtatur, ſcribens: *Hæ vero terribiles Larvæ ab iis ſumebantur populis, qui loco-*

a. *Berger. de Larvis cap. 2. §. VI.*


XXXVIII.
In Marmo
In Marmo
In Corniola

Digitized by Google



Digitized by Google

XXXIX.



In Marmo



In Metallo



In Corniola



In Corniola

Digitized by Google

locorum intervallis diſjuncti more habituque peregrino minus vulgo cogniti erant, eoque magis movebant.

Figura altera e quadam mei juris gemma delineata eſt, & adoleſcentulam e conſpectu poſitam, tunica & clamyde indutam repræſentat, quæ oblongum palmæ ramum ſiniſtro brachio protenſo, dextero autem muliebrem juvenilem Larvam tenet, quam ſerio & attente, vultu in latus reſpiciente, intuetur, meditaturque, quaſi ſecum ipſa mente revolvat, quantum ſibi honoris ea Larva in ſcena adſciverit; ni potius opinari velimus incitamentum eſſe ad præmia, laudeſque per poeſim capeſſendas.

TABULA XXXIX.

CAPUT TRIGESIMUMNONUM.

ETſi in hac Diſſertatione non rotunde exculptas Larvas, ſed diaglyphas mihi in animo propoſuerim in lucem dare, quæ, utpote prægrandi forma, vulgo appellantur *Maſcheroni*, quas ad frontes domorum ornandas, atque ad fontium ſcaturigines Antiqui deſtinarunt, ac quarum plures tum in atrio ædium DD. Familiæ Cremoniæ prope nummulariam menſam S. Spiritus, nec non in aula Vaticani Palatii, & alibi proſtant; nihilo tamen minus unam hic referre placuit. Per hanc aliquod fortaſſis magnum flumen repræſentatur, nam labia ejus, & barba ex frequenti aquarum curſu apparent detrita, quod plane erroris anſam præbuit credentibus, illas ad Oracula reddenda inſerviſſe. Ingens hoc marmoreum caput inter quaſdam macerias prope Neapolitanas ſaluberrimas aquas repertum, una cum nonnullis cælatis gemmis a D. Franciſci Henrici de Graſſis Comitis Planuræ, Nobilis Bononienſis munificentia dono accepi.

Altera Larva excellentis ſane operis barbam habens calamiſtratam, crines contortos, & os præter modum hians, ad perſonam Ægyptii, ſeu alius peregrini hominis repræſentandam fortaſſis inſerviebat.

Poſtremæ imagines muliebres ſeminudæ, ſiniſtris pedum, de-

dextris vero Larvas tenentes, duas, ut opinor comicas feminas repræſentant, quæ paſtoralem perſonam in ſcena egerunt, quod & ex arboris trunco, penes quem una ſedet, & ex ſcopulo illo ſeu ſaxorum congerie, ſuper quam altera dextero innititur pede, apprime dignoſcitur.

TABULA XL.

CAPUT QUADRAGESIMUM.


HUjus Tabulæ figura, ex quadam ſignatoria gemma deſumpta, juvenem exhibet feminam, crinibus compoſitis, ac in occipite colligatis, & calantica ex velo tenuiſſimo tectis. Seminuda apparet, rotundæque baſi ſuperinſidet, eidemque ſiniſtra manu innititur, dum primoribus digitis Larvam e calantica ſuſpenſam tenet, tenui faſcia, in duos limbos terminante, retro contectam. Mulier hæc, cujus propter nudos pedes baculus jacet inflexus, naturali ſui vultus habitu ſibi videtur gratulari, dum lubenti animo Larvam contemplatur; quapropter dicendum hiſtrionicam hanc fuiſſe, & quidem celebrem mulierem. Corpus fere nudum ejus temporis nimia morum licentia permittebat.

TABULA XLI.

CAPUT QUADRAGESIMUMPRIMUM.

ALiam exhibet ſequens quadrageſima prima Tabula, ex ſignatoria gemma depromptam adoleſcentulæ figuram. Quum autem gemma ipſa confracta ſit, in ea veſtis tantummodo ſuperior pars apparet, ceterum ipſam fuiſſe feminudam aperte dignoſcitur. Larvam virilem calamiſtratam ſiniſtra ſub mento fulcit, quam dextra crinibus arreptam tenet ſuſpenſam; eamque læta inſpicit, quod forte per eam ſibi in ſcena popularem plauſum comparaverit. Protoma Platonis e regione ſtat, quod fortaſſis comœdia, ſeu tragœdia, quam egerat hæc mulier, Platonica doctrina eſſet referta.

Alteram Larvam Silenum, vel Faunum repræſentare autumo ob barbam, crineſque criſpatos ſatyrorum more, naſumque ſimum. Ter-



Digitized by Google



In Corniola




In Cameo



In Giauazzo

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Tertia Larva toreuma eſt eo lapide cœlatum, qui in Hiſpania, & Africa effoditur. Ex oris, & faciei forma virum Afrum repræſentare crederem, & præcipue Æthyopem quemdam.

TABULA XLII.

CAPUT QVADRAGESIMVMSECVNDVM

PRima hujus Tabulæ imago, cui nomen quoddam ſubſcriptum eſt, puellam veſte ad talos uſque indutam repræſentat. Quod tali ſolerent Tibicines modo veſtiri, teſtis eſt Horatius; [a]

Tibicen, traxitque vagus per pulpita veſtem.

Duas præ manibus tibias diſpares geſtat, & ob capillorum incomptam formam, paſtoritiæ feminæ; quæ tibiis egregie caneret in ruſticanis fabulis, referri poteſt; quod etiam ex quadam Satyri larva eam prope pyramidi impoſita dignoſcitur.

Quæ ſubſequitur, juvenis imago eſt, qui ex Larva, quam ſuper lævum femur tenet, comicus apparet, & fabulas heroicas egiſſe crederem ob clamydem, quæ illi cetera nudo humeros veſtit; plures enim Equites, ac Cives Romani in ipſa juventa, ut genio indulgerent, ſcenam conſcendere minime probri habebant. Hos inter Publius Valens connumeratur Anagninus, qui licet equeſtris ordinis adoleſcens, alacri præditus ingenio, verſus elucubrare, & canere, ac in ſcenam perſonatus apparere Nerone imperante in deliciis habuit, qui poſtmodum Vitellii temporibus Legionis dux factus militavit. Res ab eo geſtas, ac lacrimabilem exitum illius belli narrat Cornelius Tacitus.

Tertia imago ſenis nudi, ac ſuper ſcamnum ſedentis ſiniſtra manu juvenilem Larvam ſuſtollit, dextramque ita ſuſpenſam tenet, ut vel recitare, vel fabulam comminiſci videatur.

Porro aliam etiam ridentis juvenis Larvam e regione poſitam habet, quæ fulcro cuidam innixa eſt, quod columellam eſſe crederem, ut paſſim vidimus in hoc opere. Itaque per ſedentem illum ſenem aliquem ſcenicorum operum

a *Horat. de art. Poët. v. 215.*

Digitized by Google

rum auctorem, qui varias excogitet perſonas, ſeu Pantomimum aliquem, qui varias perſonas repræſentaverit, arbitror indigitari, vel quod hic ſenex etiam puerili ætate carmina pangeret, & fabulas aut fecerit, aut egerit.

TABULA XLIII.

CAPUT QUADRAGESIMUMTERTIUM.

QUam cernis mulierem coma incompta, ac retrorſum religata ſcopulo inſidentem, ſuperne nudam, indutam veſte purpurea, & tenui, qua coxendices ſeu femora, & crura teguntur, hiſtrionicæ arti addictam fuiſſe puto. Extenſo dextro brachio, atque ſiniſtro innixa ſedili, digitum indicem ſuſtollit; obliquo autem vultu expreſſa eſt, & recitanti ſimilis, vel comicæ actioni ſtudens, ante Larvam contra ſtantem ſupra rotundam baſim. Hæc Larva muliebris ore grandiori capillamentum habet, quod ambit caput, & ſpeciem quamdam mitræ in fronte repræſentat. [a] Bergerus ait: *Ad Larvam ſcenicam acceſſit ornatus, qui altius eminuit*, & præcipue in Larvis muliebribus. In hanc ſententiam pedibus it Salmaſius, ſed exiſtimat, hunc ſupra frontem capillorum cumulum partem ipſius Larvæ fuiſſe. Uterque [b] Pollucem ſequutus eſt, qui hunc cumulum ὄγκον vocat, ac Græcum Λ, referre dicit. Hæc profecto Larva ſimilis videtur Λ, ideoque Pollucis verbis reſpondet, eoque magis, quod Salmaſius affirmat, capillos circa illam prominentiam obductos fuiſſe, ut in hoc diagrammate.

TABULA XLIV.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUARTUM.

MUltæ comicorum figuræ in hoc opere conſpiciuntur, itidemque multæ feminarum ſcenicarum abſque Larva, ut hæ duæ, quas hic exhibemus. Seminudæ ſunt, & toto corpore in conſpectu, præter faciem, quæ in latus reſpi-

a *Berger. cap. 2. §. 16.* b *Pollux lib. 4. ſect. 133.*

XXXXIII.



Corniola

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXXIV. 2°



AMETISTO *PASTA*



La Verita in Metallo con denti di Argento

S. P. F.

Digitized by Google



Digitized by Google

ſpicit, obverſæ: baculis detortis, & terræ infixis, innixæ earum cubitis, hæc ſiniſtro, illa dextero, ac ambæ tenent Larvam, quibus fortaſſe uſæ ſunt in ſcena. Hæ mulieres ſic compoſitæ videntur fuiſſe præſtantes in ſaltatione, quales fuerunt Timeles, aliæque mulieres, quas nominat Juvenalis fictis nominibus, nempe Appula, Tuccia, Mævia, Galla, Flora, Catulla, Procula, & nonnullæ aliæ, ad corripiendas Romanas feminas, quæ ſe in ſcena proſtituebant.

Altera Larva veritatem deſignat, ut Leonardus Auguſtinus autumat. De quadam Larva huic noſtræ ſimili, quam num. 36. adfert, capillis eodem modo inſtar undarum criſpatis, & circa caput compreſſis, & lingua ore exerta, idem auctor ait in Notis, quibus Larvam illam illuſtrat, frondem mali perſici pendere ex ejus ore, & quum linguæ ſimilis hæc ſit, fructus vero cordi, malum perſicum ſymbolum eſſe creditum veritatis. Frondes quoque hujus arboris in capite Iſidis conſpici dicit, Ægyptiorum Deorum ſimulacra ex ejus trunco effingi ſecundum Theophraſtum, nec non amuleta, ut illud, quod ex Iſidis collo pendet, quod verba vera innuere ſcribit. Cui hæc minime arrident, videat, an hæc Larva Manducum illum repræſentet, quem idem Auguſtinus ait habuiſſe ingentem buccam, dentes prælongos, pallidum vultum. Hæc ſimilis eſt actori noſtræ ætatis, qui Bergomatem ruſticum, vulgo *Zanni* imitatur, qui ſic fortaſſe appellatur a dentibus recurvis, atque exſtantibus, Italice *zanne*, vel ſic dictus eſt quaſi Sannio. Videſis Menagium in libro, cui titulus *Origine della lingua Toſcana* V. ZANNI.

TABULA XLV.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUINTUM.

IN hac Tabula primum apparet ſenex quidam naturali vultu, brevibus crinibus ac barba, qui in faciem ſpectat, volumen, vel neſcio quid aliud tenens manibus, ſiniſtro crure, ac brachio nudo. Sub ipſo alia adeſt figura ſenis in latus proſpicientis, baculo recurvo innixi, & ſiniſtra innuen-

tis. Hi ambo ſenes comicos dicerem Græculos, qui palliatas agebant; prior enim pallio indutus eſt apertiſſime. Quod ſi larvati minime ſunt, forte illis verba accommodanda ſunt Feſti, qui ait: *Per Avellanos, qui proprie vocantur perſonati, quod jus eſt iis non cogi in ſcena ponere perſonam, quod ceteris hiſtrionibus pati neceſſe eſt*. Cupidinis figurâ, quæ ſecundo loco inſpicitur, Jocum crederem repræſentare, nam illi caput, & faciem velat Larva, quæ Venetæ illi ſimilis eſt, quæ vulgo *bautta* dicitur. Innitur baculo ſpeciem tridentis referenti, quod Jocus comes ſit Veneris e mari natæ, teſte Horatio:

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolitat, & Cupido.


Poſtrema puerilis imago repræſentat Jocum theatralem, nam Larvam ſenilem, pedumque gerit, inſtrumenta, quæ in theatris uſuveniunt. Hæc figura e gemma ſignatoria delineata, reperta eſt in via Oſtienſi in loco, qui appellatur Vicus Alexandri a Marcellino, ubi translationem Obeliſci Conſtantii refert. Ibi paucis ab hinc annis nobile Mauſoleum detectum eſt e conſpectu Tyberis, in quo cenotaphium illud ingens erat, in cujus fronte novem Muſæ affabre, ac miro plane artificio ſculptæ fuerant, quodque a Clemente XII. in Capitolium una cum præſtantiſſimo ſtatuarum, protomarum, inſcriptionum, & aliarum vetuſtatis reliquiarum theſauro invectum fuit, ad nominis ſui æternam famam, atque eruditioni, & bonis artibus perennem parandam utilitatem. In ejus Mauſolei Columbario inter ceteras hæc inſcriptio erat ad ludos ſcenicos ſpectans:

P. CAESENNIO GRATO
IOC. SCAENICORVM
ET . . . . . .

Huic aliam addam inſcriptionem, repertam anno 1726. in Via Appia ſiniſtrorſum antequam ad Portam Capenam pervenias, in eo Columbario, de quo verba feci pag. 47. Diſſertationis *De Bulla aurea*.

P. GA-

Digitized by Google



Digitized by Google

P. GAVIVS ARMONIVS
IOC. SCAENICORVM
VIX. ANNIS. XXIIII. M. VI.

Hanc inſcriptionem edidit C. V. Dominicus Georgius Cardinalis Imperialis a Bibliotecha, at ſecundo verſu legit LOC. ſcilicet *locator*, quam lectionem ſuam confirmat alia inſcriptione Mediolanenſi, in qua ſcriptum erat: CVRANTE CALEPODIO LOCATORE. Fateor nil facilius, quam me erraſſe, quum ibi quamplurimas uno die inſcriptiones exſcripſerim.

TABULA XLVI.

CAPUT QVADRAGESIMVMSEXTVM.

Larva bifrons ſuper abacum locata tribus caprinis pedibus innixum, ex gemma ſignatoria, in qua egregio artificio inciſa eſt, delineata fuit. Utraque facies juvenem repræſentat, nec multum inter ſe quod ad vultus lineamenta differunt. Pone eumdem abacum Victoria adſtat, quæ ſiniſtram alteri earum Larvarum porrigit, quaſi deoſculandam. Innuit fortaſſe poſt partam victoriam, rebuſque tam privatis, quam publicis in pace compoſitis, ſcenicos ludos in theatra revocandos eſſe.

Ex quodam toreumate delineata eſt Cupidinis figura ſedentis, quæ inferne poſita eſt. Hic Cupido manibus tenet neſcio quod inſtrumentum, ſuper quod hinc inde poſitæ duæ Larvæ obverſæ, oblonga barba, ac ſenili ætate. Quid hoc inſtrumentum ſit, prorſus ignoro; ni forte ſit theca, in qua incluſæ eſſent Larvæ illæ, quas Cupido inde extraxerit, ac ſuper eam locarit; vel inſtrumentum muſicum, quod Cupido pulſat, ſimile eis, quæ viri, mulieresque Germani, ambubajæ ſcilicet, & balatrones apud nos commigrantes etiam nunc pulſare ſolent. Apud Gorlæum num. 531. Venerem, ſeu, ut vult Licetus, Thaliam

 in-

Digitized by Google

inſpicimus humi ſedentem, quæ citharam, vel lyram inter crura ſuſtinet, quam coram Cupidine, & Joco pulſat. Quapropter ſuſpicor, an hoc etiam inſtrumentum citharam repræſentet, rudem quidem, & chordis non bene expreſſis. Utcunque res ſe habeat, puerulum hunc Genium eſſe comœdiæ autumo propter duas Larvas.

TABULA XLVII.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEPTIMUM.

UNdecim Larvæ hic delineatæ ſunt, prima quarum, & tertia, ſecundum Auguſtinum a, quum valde deformes ſint, & ore hiante, ſervos repræſentant. In hortis Matthæorum in Monte Cœlio duo ſigilla exſtant e marmore cum Larvis, quæ his valde ſunt ſimiles. Alterum dedit Sponius in Miſcell. ſect. 9. non diſſimile his, ſed laurea, & coma hinc inde recidente per genas.

Secunda, capite calvo, lato ore, & barba calamiſtrata Ægyptio more, ut videre eſt in quadam protome ingentis magnitudinis in hortis Ludoviſiis, una eſt ex illis Larvis, quibus antiqui in Bacchanalibus utebantur, quas Sillicas vocabant, quod eſſent Sileno ſimiles: Nonnullæ ſunt in Auguſtini collectione parte 1. num. 23. & 24.

Quarta Canopum ferme repræſentat tot illis teniis circa caput complicatis. Utcumque ſit, virum Ægyptium repræſentare videtur, vel alium quemdam ex Oriente.

Quinta duabus Larvis conſtat, ac vultu naturali ejuſdem fortaſſe comici, qui duabus illis uſus eſt.

Sexta calvo capite, & corona hederacea, & barba oblonga, & novem calamiſtris obtorta, ad Bacchanalia apta erat.

Septima muliebris Larva eſt, ſuper rotundam baſim locata. Adſtat parvus Cupido, qui fugere videtur perterritus. Hic forte Comœdia, & Jocus repræſentantur. Quod Lar-

a *Aug. Par. 1. n. 26. de Gemmis.*



Digitized by Google

XXXXVIII



Metallo con occhi d'Argento



Cameo pasta bianca, e rossa



Corniola



In Agata

B. de Petris Incise

Digitized by Google

Digitized by Google

Larvæ perterrefacerent pueros, habemus ex Martiale: a

Sum figuli luſus, Rufi perſona Batavi,
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Hinc lucem adferre poſſumus anaglypho marmoreo Villæ Pamphiliæ ad Portam Aureliam, cujus ectypum in fronte hujus libri inſpicitur.

Octava capillos, & barbam habet calamiſtratam, & hominem peregrinum repræſentat, a quibus etiam Larvas, & habitus Romani deſumebant, quum ii Urbem adibant vel ſervi, vel captivi. Nos etiamnunc in comœdias introducimus Orientales viros, quos *Levantini* appellamus.

Nona ſimilis eſt vel nautæ, vel plebejo homuncioni, quos Neapolitani *Lazzaros* vocant.

De decima, & undecima nil mihi dicendum ſupereſt, Larvas tamen eſſe patet.

TABULA XLVIII.

CAPUT QVADRAGESIMUMOCTAVUM.

PRima Larva coloſſalis eſt Silenis illis ſimilis, quos ad choros canendos in ſcenam producebant Antiqui. Differt tamen ab eis circulo illo groſſiore, quo frons ejus circumdatur. Videtur nonnihil peregrini in ſe habere, quod in Larvis minime mirum eſt, nam hinc inde Romani formas eorum deſumebant: Huic circulo fortaſſe Varro apud Nonium alludit his verbis: *Item tragici prodeunt capite gibbero, quum antiqua lege ad frontem ſupercilium accedebat.*

Secunda pariter coloſſalis eſt, & juvenculam repræſentat capillis calamiſtratis circa frontem, & genas uſque ad cervicem. Ingenua, ſed barbara apparet, ac dolore confecta.

Tertia calvo capite, ac vultu quaſi ſquamis cooperto, marinum Numen forte repræſentat. Hanc gemmam annularem dono mihi dedit Eques Paulus Petrus Lilius Avenionenſis

a. *Martial. lib. XIV. Epig. 176.*

ſis rerum antiquarum amantiſſimus, & eruditione ſatis ornatus.

Quarta notanda eſt ob comam in quatuor ordines diſtributam, & in fronte obtortam uſque ad genas. Naſum habet acutiorem, ſub ea hæ literæ ſculptæ ſunt PILOG, quod nomen vel artificis, vel comici eſt.

TABULA XLIX.

CAPUT QUADRAGESIMUMNONUM.

PRima Larva gigantea forma eſt genis grandioribus, necnon naſo, & ſuperciliis. Barbam habet in ſeptem calamiſtros diſtributam. Conchylium pro pileo habet, deſinens in circulum piloſum tenia in medio obligatum. His Larvis utebantur Antiqui, ſi Panvinio [a] credimus, in Feſtis Deorum, atque in Ludis, ac inde in ſcenas tranſierunt, ſed minori, ac minus enormi forma.

Secunda capite calvo, ingenti vultu, ſuperciliis, naſo, & ore, ſceleto ſimilis. Paccichellius ait: *Olim in tricliniis, vel conclavibus ſupra menſas crania, ſeu Larvæ ſuſpenſa erant, aut ſic aptata, ut eorum articuli, vertebræque in omnem partem verterentur ad convivarum humanæ conditionis admonitionem, largiorique vino indulgendum.* [b] Petronius Arbiter verba facit de quodam ſceleto argenteo in convivium adlato. Hinc patet ab omnibus animi affectionibus, a varietate Numinum, diverſiſque humanæ vitæ conditionibus deſumptas eſſe tot larvas, tantiſque hominum gradibus, & nationibus ad multimodos uſus inventas. Qui autem iis bene utebantur illuſtres erant, ut ex multis inſcriptionibus patet, quarum unam tantum hìc adferam ex Grutero [c] e Græco in Latinum a Benedicto Stegio verſam

HIC SVM PÆSTEIVS. VITÆ MODO FINE PERACTO
CONDITVS, HISTRIACÆ NOBILIS ARTIS HONOS
TER SENOS ANNOS ASCLEPIODORVS ADÆQVANS.
MATREM HABEO TERRAM, QVA PRIVS ORTVS ERAM.

TA-

a *Panvin. de Ludis circenſibus.* b *Petr. Arb. ſatyr. cap. 34.*
c *Grut. To. 1. part. 2. pag. 332. n. 5.*

Digitized by Google

XXXXIX.



In Corniola

Digitized by Google



Digitized by Google

TABULA L.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

DEcem & ſeptem Larvæ in hac Tabula delineatæ ex totidem gemmis, inter ſe admodum variæ ſunt, & in comicos uſus adhibitæ. Prima harum juvenem repræſentat. Coronata videtur, ſed qua corona non ſatis clare apparet. Aſininas habet aures, quæ ſuper frontem uniuntur, & quum ridentis ſpeciem præſeferat, Fauni Larvam crederem, ad agendas comœdias paſtorales.

Secunda repræſentat Lunam plenam, cujus cultus ex Ægypto Romam translatus eſt. Ex varietate faciei Lunaris nonnulli autumant Larvarum inventum ortum eſſe, ut ait Paccichellius [a]: *Ceterum vetuſtus Perſonarum uſus ex facie Lunæ Gorgonis aſpectum aliquatenus referente, ab Orpheo conjectat Mariſcottus*. Si Luna in antiquis ſcenis non inducebatur, ſaltem his noſtris temporibus Lunares Phaſes in ſcena viſæ ſunt aliquando.

Tertia caprina, & ſatyrica, facie deformis admodum eſt: quarta vero crines habet ſatis elegantes, coronam hederaceam, & os hians; forte in uſu fuit in comœdiis ruſticalibus, & in Bacchanalibus.

Quinta Larva, capite calvo, & hiante ore in modum conchylii, juncta eſt imagini cujuſdam mulieris hiſtrionicæ, quæ fortaſſe celebris fuit in comœdiis agendis, ideoque ejus imago in onyce inciſa fuit.

Sexta naturalia refert lineamenta cujuſdam juvenis ore aliquantulum grandiore. Cincinnos habet, & calamiſtros, ut potius muliebrem referat ornatum.

Septima naturali modo apparet, quales eſſe ſolent illæ, quibus etiam hodie utimur.

Octava, & nona ſervos comicos referunt.

Decima ſenilis alteri juvenili conjuncta, nil peculiare continet, præter quam quod oculis caret, ut cœcum ſer-

a *Paccich. de Larvis cap. 2. pag. 20.*

ferme repræſentet. De barba calamiſtrata, & de crinium tumulo, qui capiti femineo ſupereminet, nonnulla alibi diximus.

Undecima & decimatertia ſimiles ſunt, nec peculiaris quid continent, niſi quod prima capillitium habet more Orientalium.

Duodecima duos vultus refert, alterum viri ſenis, alterum juvenis. Fortaſſe comicus, qui ea utebatur, utramque perſonam optime agebat. De Larva decimaquarta alibi diſſeruimus.

Decimaquinta & decimaſeptima, hedera & pampinis coronatæ, ad Bacchanalia adhibitæ videntur.

Decimaſexta, quæ media eſt inter utraſque, feminam repræſentat, quæ ſuper caput Larvam habet caprinam, ad ſatyricos choros agendos.

TABULA LI.

CAPUT QUINQUAGESIMUMPRIMUM.

HÆC prima Larva vultu horrifico, & enormi ore, circa frontem ornatum habet in modum cornuum deorſum obverſorum. Secunda non minus horribilis uvis, & hedera coronata, ni potius hederaceis baccis, ac duobus foliis Indicæ ficus, quæ deorſum vergentia ſub mento eorum extremitates habent, & malas adoperiunt. Ex his colligitur ad Bacchanalia hanc Larvam pertinere, & quidem Baccho Larvas dicatas fuiſſe adfirmat Leonardus Auguſtinus, & in ejus feſtis, ac ludis adhibitas, ut ait Panvinius, quas Varro appellat *miracula* dicens: *Miracula, ideſt a miris, ſeu monſtris*. Aliæ duæ Larvæ vetulas quaſdam horridi aſpectus referunt capillis nexis, & calamiſtratis. Puto Lamias eſſe, de quibus loquitur Lucilius, & Philoſtratus [a] in vita Apollonii ait: *Lamias a quibuſdam Larvas, ab aliis Lemures appellari, & carnes humanas vehementer appetere &c.* Ve-


a *Philoſtr. ibi libr. 4. cap. 8. circa finem.*

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google


LII
HELENA
In Agata Venata

Veroſimile videtur has in ſcenam inductas fuiſſe, nam Horatius ait a:

Neu pranſæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.

Quod autem muliebrem faciem haberent, diſcimus ex Nizzolio dicente: *Lamia animal eſt faciem prætendens muliebrem ab inferiori parte pedes equinos habens.*

TABULA LII.

CAPUT QVINQVAGESIMUMSECUNDUM.

SUlphureum ectypum hujus gemmæ dono mihi dedit D. Chryſoſtomus Scarſò Baſilianus Monachus pius ac eruditus, qui multa edidit, quique in tertia parte ſuorum opuſculorum pag. 64. hanc meam Larvarum collectionem laudavit. Hæc gemma ex annulo ſignatorio eruta quatuor continet Larvas, inter quas nomen HELENA ſcriptum eſt, quod innuere videtur duas Larvas muliebres Helenam repræſentare, Homeri carmine illuſtrem. Prima, quæ junior apparet, fortaſſe eſt effigies illius, dum rapta a Paride fuit, altera vero, quæ ætate provectior, imago ejus erit, dum iterum poſt Trojæ excidium in Menelai poteſtatem venit; multos enim annos inter utrumque facinus interceſſit. Ceteræ duæ Larvæ ſervilem perſonam referunt ad tragicas actiones agendas, quibus perennem materiam Helena dedit.

TABULA LIII.

CAPUT QUINQVAGESIMUMTERTIUM.

IN Cæliolo anno 1732. parvum cubiculum effodiendo reperi, cujus parietes ornabantur anaglyphis ex argilla, inter quæ hoc erat, quod damus ære inciſum. Adoleſcentulam repræſentat forma heroica, capillis modeſte ornatis, ſubtili veſte, & ſubtiliore tunica indutam, altero humero

a *Horat. de Art. Poëtic. v. 340. Nizzolius in v. Lamia.*

nudam, librum altera manu tenentem, altera graphiam primoribus digitis admodum venuſte. Hæc ex toto corporis habitu gravi, & cogitabundo videtur Muſa Calliopes, cui heroica carmina tribuuntur, ut Virgilius in Catalectis:

Carmina Calliope libris heroica mandat.

Hìc obiter notandum venit, prope hoc cubiculum ſeu balneum alterum inventum fuiſſe, in quo novem Muſæ cum Apolline pictæ erant, non admodum diverſæ ab illis, quas in Vaticanis cubiculis pinxit Raphael Urbinas. Prope etiam inter cœmenta cilium argenteum repertum fuit confractum, & contuſum, formæ admodum parvæ, quod Eminentiſſimo Alexandro Cardinali Albano dono dedi.

TABULA LIV.
CAPUT QVINQVAGESIMUMQUARTUM.

IN hac Tabula repræſentantur tria anaglypha, ac duæ gemmæ inciſæ, & æreum numiſma, in quibus Larvæ expreſſæ ſunt. Prima imago eſt pueri cum pileolo pelle ſubſuto, ut mos eſt in frigidioribus regionibus. Altera breves habet crines, & nudum pectus, & ambæ ſervos repræſentant, ſed magis ſecunda.

Tertia duplici tenia circa caput, & oblongis capillis in calamiſtros conformatis, qui hinc inde per genas ſub mento confluunt, peregrinum hominem deſignat.

Quarta Eubonis formam præſefert, & inter eas Larvas habenda eſt, quas Panvinius ait ad terrendos ſpectatores inventas fuiſſe.

Quinta tribus Larvis conſtat, duabus ſimul junctis, altera vero in averſa parte earumdem. Omnes ſunt terrificæ, de quibus loquitur Plinius; qui eas Manias appellat, quæ ſecundum Feſtum [a] ſunt *turpes, deformeſque perſonæ*, vel ſaltem de quibus Lucianus ait: *Ornatus hiſtrionum turpe, & minime jucundum ſpectaculum; homo longitudine deformi, atque incompoſita forma, altis calceamentis ingrediens*,

a *Feſtus. De verb. ſignif. libr.* XI.



Digitized by Google

diens, *caput Larva minaci obductum habens*, *tum peramplo ore biante*, *quaſi ſpectatores devoraturus*. Hæ tres Larvæ in magno numiſmate, ut dicunt, *contorniato*, expreſſæ ſunt, quæ numiſmata *cotrones* appellantur, omneſque ſciunt parum eleganter delineata eſſe, quippe quæ cuſa ſunt ſequioribus ſeculis, ac in ipſis memoria revocatur Heroum, Hiſtoricorum, & Poetarum, ac in poſtica parte Ludi Circenſes, venationes, victoreſque, & res quoque aliæ tam fictæ, quam veræ, ſed rudiore ſemper opere.

Titus Domitianus, & Nerva in nummis memoriam renovarunt Auguſti, & Liviæ, titulis adpoſitis vel pietatis, vel ſalutis, vel juſtitiæ, immo etiam Agrippæ, Tiberii, Druſi, Germanici, & Claudii. Trajanus quoque reſtituit in nummis argenteis, & aureis memorias familiarum Conſularium. Hæc tamen numiſmata eleganti forma reſtituta ſunt, nam tum adhuc bonæ artes vigebant; contra vero quæ ſub Gallieno cuſa ſunt, cum imagine, & conſecratione prætéritorum Cæſarum, infelici opere facta apparent, itaut nec vultus dignoſcerentur, niſi eorum appoſita eſſent nomina. Multorum hujuſmodi numiſmatum etiam ætas ignoratur. Poſt Valentinianum & Honorium nullum inveni alteri Imperatori numiſma reſtitutum. Honorii quidem numiſma hujuſmodi dono dedi docto & erudito P. Jo. Franciſco Baldinio Somaſco, ſui Ordinis Generali Præpoſito. Alterum pariter Honorii adſervatur in Muſeo Barberinio cum centum & ultra aliis numiſmatibus ſimilibus. Hæc numiſmata reſtituta fortaſſe fuerunt in Feſtis, & Ludis, quare non mirum, ſi in hoc noſtro Larvæ repræſentantur. In numiſmate argenteo Familiæ Cariſiæ clypeus expreſſus eſt, qui Larvam efformat. Parvum numiſma maximi moduli, quod Ciſtophorum appellant, Larvam continet, quod anno 1734 publici juris factum eſt a docto P. Panel Soc. Jeſu in ſuo opere de Ciſtophoris pag. 57, ubi differitur de antiquis Feſtis Bacchanalibus in Aſia, atque alibi celebratis.

Sexta caput habet crinibus in fronte hirtis, & barbam ad modum capræ. Satyrum præſefert, niſi ſpectrum ſit, quod aliquando in theatra inducebatur.

TABULA LV.

CAPUT QVINQVAGESIMUMQVINTUM.

PRima harum Larvarum Silenum refert , ut ex corona pampinea apparet , & naſo ſimo , & auribus ferme aſininis . Duæ aliæ Larvæ coloſſales , ſed minori forma delineatæ , inventæ ſunt in uno columbariorum , quæ effodi curavi in vinea DD. Moronum ad dextram antiquæ viæ Appiæ , antequam e Porta S. Sebaſtiani egrediaris . Animo reputarem , ibi ſepultos fuiſſe duos comicos , qui his Larvis uſi fuerint . In iis columbariis ex multis ſub ollis poſitis inſcriptionibus hæc erat , quam edere promiſi in Diſſertatione *De Bulla aurea* pag. 40.

M. VIPSANIUS
NARCISSVS
ROGATOR. AB. SCAENA

Quum hic fuerit in Familiam Vipſaniam Agrippæ cooptatus, hinc eſt , quod inſcriptionis character elegantiſſimus eſt , quod erat felicis temporis Auguſtæi . At verbum illud *Rogator* , quum ab iis , qui inſcriptiones collegerunt , non bene intellectum fuerit , ut in ſequenti Capite demonſtrabo , hic adnotabo *Rogatorem ab ſcæna* ſignificare eum , qui veſtes , & apparatum ad comicos veſtiendos inquirebat ; erat etiam , qui has veſtes ſervabat , ut ex inſcriptionibus a Fabretto , & aliis collectis apparet . Quod autem *Rogator* virum illum innuat , qui habitus ad comicos veſtiendos hinc inde commodabat , diſcimus ex Horatio [a] , qui de Lucullo loquens ita ſcribit :

. . . . Clamydes , ut ajunt ,
Si poſſet centum ſcenæ præbere rogatus .
Qui poſſum tot ? ait, tamen & quæram, & quod habebo
Mittam ; poſt paulo ſcribit ſibi millia quinque
Eſſe domi clamydum : partem , vel tolleret omnes .

Ro-

a. *Horat. libr. 1. ep. 6. v. 40.*

Digitized by Google



Corniola



Terra Cotta

Digitized by Google

Digitized by Google



Cameo in alabaſtro



Cameo ametiſta



Cameo



Onice

Digitized by Google

Refert etiam Plutarchus in vita ipſius Luculli, Prætorem petiiſſe a Lucullo veſtimenta purpurea ad neſcio quod ſpectaculum celebrandum, & reſpondiſſe ſe ſcrutaturum an domi quid veſtium ſimilium haberet, ac ſi haberet, commodaturum. Poſtero autem die interrogavit Lucullus Prætorem, quot veſtibus illi opus eſſet, quum reſpondiſſet centum, Lucullus ſtatim ducentas ei miſit.

TABULA LVI.

CAPUT QVINQVAGESIMUMSEXTUM.

EN aliæ quatuor Larvæ, quarum prima adeo deformis eſt, ut bufonem potius referat, oris hiatu terrifica. Aliæ capite calvo, quarum duæ os habent in formam conchylii, ultima vero barbam calamiſtratam, & vultum ad alicujus ſimilitudinem reddendam, ut eum irrideret, conformatum. In totidem ollis repertæ ſunt ſimul cum oſſibus ſemiuſtis in quodam columbario anno 1732. detecto dextrorſum in via Latina. Nonnullas inſcriptiones ibi repertas comparavi, quarum tres hic apponam:

A. POSTVMIVS. POSTVMIA
CHERACLIDA. ROGATOR
BENEFICIVM. CORNELIAE
Ɔ. L. PHICAENIS. CONIVNX

A. POSTVMIVS. POSTVMIAE
CHERACLID
ROGATOR. MAG. QVINQ. CONLEG
APPARAT. ANNAL. ITERVM.

✿ ✿ ✿

C. COSSVTIVS. C. L. CRISPVS
ROGATOR. IDEM COGNIT
MAG. QVINQ. ANNAL. LOR.

Ex

Ex his Inſcriptionibus, & ex illa, quam retulimus capite præcedenti, vera *Rogatoris* ſignificatio eruitur. Fabrettus perpendens epitaphium cujuſdam Lycaſti Rogatoris, qui ſepulchrum condidit uxori ſuæ Libertæ, & ornatrici Juliæ Auguſti filiæ, quod ab eodem Fabretto cap. 11. pag. 74. num. itidem 74. adducitur, & τὸ ROGATOR ad examen revocans præterito capite pag. 107. ſic ait: *Rogatores in Comitiis curiatis adhibitos, qui ciſtam deferrent, in quam tabellas ſuffragii Populus conjiciebat, oſtendit Sigon. de Comit. Rom. lib.* 1. *cap.* 111. *In Comitiis vero Tributis, non alium fuiſſe Rogatorem Tribuum præter ipſum Magiſtratum, a quo habebantur comitia contendit Nicolaus Gruchius in ſimilis Tituli tractatione libr.* 11. *cap.* IV. *De Prioribus hunc Lycaſtum tanquam ex Libertina conditione fuiſſe oportet. Illud certe notandum, in nulla hactenus epigraphe de tali officio* (*ſive Magiſtratu minori*), *neque in Theſauro Gruteri, neque alibi, quod viderim, memoriam extare. Unde inſcriptioni, alibi quoque memorandæ, prærogativa raritatis accreſcit.* Si eruditiſſimi Auctores has inſcriptiones videre potuiſſent, hanc quoque ſignificationem addidiſſent verbi *Rogatoris*..

Hinc colligere poſſumus, quantam lucem afferant ad antiquos Scriptores interpretandos inſcripta marmora, quum viderimus hæc noſtra lucem attuliſſe Horatio, & Plutarcho. Hoc patuit maxime, quum detectum fuit ſepulchrum Libertorum Liviæ Inſcriptionibus refertum, quas illuſtravit eruditiſſimus Antonius Franciſcus Gorius fama, & nominis celebritate notus, & tot editis operibus cedro dignis, illuſtris. Inter has Inſcriptiones hæc erat, quam excripſi antequam peſſundarentur, & ad nomen *Rogatoris* explicandum attinet.

EROS. AVG. L. ROGATOR.
LIVIA LESBIA

TA-

Digitized by Google

Digitized by Google



LVIII.
Agata Sarda
Diaſpro Roſso
Giacinto
Corniola
Plaſma
Diaſpro Roſso
Corniola
Diaſpro Roſso
Paſta
Corniola
Agata
Terra Cotta

Digitized by Google



Digitized by Google

TABULA LVII. ET LVIII.
CAPVT LVII. ET LVIII.

Larvæ in Tab. LVII. delineatæ coloſſea forma ſunt egregie inciſæ in gemmis. Prima eſt e conſpectu poſita, crinibus circa frontem religatis quatuor nodis, ſuperciliis grandioribus, barba autem ejuſdem in octo calamiſtros diſpeſcitur, quæ omnia barbarum quemdam repræſentant.

Secunda Larva crinibus intortis, calamiſtratis, naſo, & ſuperciliis itidem grandioribus, externæ cujuſdam mulieris videtur formam referre. Tertia duos vultus juveniles refert ſimul junctos, pileis e pelle confectis. Hi fortaſſe erant duo captivi Barbarorum filii nobili genere nati in ſcenam adducti, altera enim quadrangulari ore videtur luctum edere ad ſuam captivitatem deflendam.

Tabula vero LVIII. duodecim habet Larvas gemmis ſignatoriis inciſas, præter ultimam dyaglipho opere cælatam.

Prima tribus Larvis conſtat ſimul junctis. Huic ſimiles multæ paſſim occurrunt præſertim in Gorlæi opere, & aliquando referunt vultus virorum, aut mulierum notarum veluti Socratis, & Xantippæ, aliarumque hujuſmodi perſonarum. Aliquando hæ Larvæ ſymbolicæ ſunt, velut illa Chimeræ, quam protulit Cauſæus, aut alicujus clari comici, quæ & ejus vultum, & Larvam, qua utebatur, referunt. Sed quum ſæpe ignoti ſint nobis eorumdem virorum vultus, in hac re conjecturis uti minime tutum eſt; quapropter de ceteris hujus Tabulæ Larvis nihil addam; fieri enim poteſt, ut ex ingenio artificis efficta fuerint.

TA-

Digitized by Google

TABULA LIX.

CAPVT QVINQVAGESIMVMNONVM.

QUod diximus in præcedenti capite de Larvis ſimul junctis, in hac Tabula clarum apparet, quæ quatuor Larvis conſtat, quarum primæ tres duobus capitibus conflantur, ultima vero tribus. Hæ omnes in quadam gemma ellyptica Græco artificio inciſæ ſunt. Prima caput habet ſenile, recalvaſtrum, ore in formam conchylii monſtroſum, cum Larva puellæ ridentis conjunctum. Secunda caput eſt pariter ſenile, crinibus reductis, & lata barba, faciei mulieris itidem juvenis conjunctum. Forte repræſentat comicum, qui & viriles, & muliebres partes in ſcena optime repræſentabat. Hic comicus inter Pantomimos recenſendus eſt; ait enim Caſſiodorus: *Pantomimo multifaria imitatione nomen eſt. Idem corpus Herculem deſignat, & Venerem*. Hoc fortaſſe huic Larvæ aptari poteſt, & Apollonius affirmat, ſæpe eamdem Larvam feminam repræſentare, & marem, Regem, & militem, ſenem reddere, & juvenem, ut in uno credas multos tam varia imitatione diſcretos. Eruditiſſimus Gorius [a] To. II. pag. 172. Inſcriptionum Etruriæ, ubi de Archimimis, qui in funeribus Magnatorum repræſentabant actus & geſtus defuncti, loquitur, hanc attulit inſcriptionem:

C. MANNEIVS
CORANVS
ARCHIMIMVS

De urbe Cora antiquiſſima, deque monumentis, quæ in ea adhuc reſtant, ſcripſit Card. Corradinius, & P. Vulpius in veteri Latio. Alia Larva duos ſeniles vultus repræſentat. Ultima vero, quæ tribus Larvis, ſeu faciebus conſtat, videtur ad Socratem pertinere, quum una illarum huic


a *Gor.*

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

huic philoſopho ſimilis ſit. Gorlæus num. 310. tale aliquid habet, creditque vultum Socratis unum eſſe, duos alios Anitum, & Melitum inimicos, & accuſatores Socratis. Idem fortaſſe dici poſſet de hac triplici Larva.

TABULA LX.

CAPUT SEXAGESIMUM.

EN quinque Larvas in totidem gemmis inciſas hìc refero, prima quarum capite calvo, & naſo ſimo, & ore hiante in formam conchylii præſefert vultum ſamnionis. Aliæ duæ feminæ ſunt, galericulo in ſpeciem calanticæ ornatæ, habentes in fronte illum capillorum tumulum, de quo loquitur Feſtus. Hoc galericulo utebantur in ſcena mulieres, ideoque notandæ ſunt hæ Larvæ ob hoc capitis ornamentum. Crines religatos altera retrorſum lemniſco habet, alteri vero capilli procidunt deducti in tres calamiſtros. Os habent apertum, ita ut canere videantur.

Quarta Larva unum tantum faciei latus demonſtrat naturali forma, cui conjuncta eſt alia Larva mimica, ore diducto, obliquo, & hiante, & naſo ſimo, quæ e conſpectu poſita eſt. Super ambas adeſt Larva barbata. Dicendum eſt juvenem quemdam comicum totidem perſonas in ſcena repræſentaſſe.

Quinta duabus larvis conſtat ſimul junctis, capite calvo, capillis circa vultum diductis, altera barbata, altera vero unico barbæ veluti calamiſtro ex mento procidente, quæ an vultum comici, ſeu pantomimi referat, eruditus lector videat. Scenici actores extra Romam etiam floruerunt, unde nil mirum, ſi tot Larvæ undique in gemmis reperiuntur. Hoc patet ex antiquis inſcriptionibus, ut videre eſt apud Gruterum potiſſimum pag. 331. num. 4.

L. SVRREDI . QL. F. CLV
FELICIS
PROCVRATORI . AB
SCAEN. THEAT. IMP
CAESAR. DOMITIAN
PRINCIPI
CORONATO. CONTRA
OMNES. SCAENICOS
VIXIT. ANN. XLIX.
M. III. D. VIII
L. SORREDVS VALERIA
NVS: MAXIMVS. PANT.
FRATRI. PIISS. FECIT.

TABULA LXI.

CAPUT SEXAGESIMUMPRIMUM.

QUas hic exhibeo, Larvæ ex totidem gemmis ſignatoriis delineatæ muliebres vultus referunt juventa florentes. Tres comam eodem plane modo compoſitam habent, ac duæ præcedentium capitum, nec aliud de his mihi dicendum ſupereſt, ni dicam tertiam harum ſibi conjunctam habere Larvam Socratis, quamobrem ſuſpicor hanc referre imaginem Xantippes uxoris ejuſdem Philoſophi. Ita etiam putavit Gorlæus num.302. 303. & 304. de tribus hujuſmodi Larvis, quas a Chiffletii collectione depromſerat, qui in eadem ſententia fuerat, Sed hæc valde ambigua ſunt, quum veram Xantippes effigiem minime noſcamus. Quod ſi idem dicendum eſſet de aliis quoque ſimilibus Larvis, quæ cum Socratis vultu conjunctæ ſunt, & comam habent eadem forma diſpoſitam, mihi nullo modo abſonum videretur; etenim Xantippes mores ad perſonam comicam maxime erant accommodati, quippe mulieris moroſæ, iracundæ, elati animi, & arrogantia, & ira pleni, ac ad jurgia paratiſſimi, quapropter fortaſſe os hiat, ut venenum aſpidis, quod



Silv. Pomarede Sculp.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LXIII.



Corniola



Diaspro



Cameo



Onice

Digitized by Google

LXII.



Cameo



Cameo



Agata



Corniola

Digitized by Google

quod ſub labiis ejus latebat, demonſtret, ita ut non minore patientia, quam ea, qua præditus erat Socrates, opus foret, ad illius mulieris faſtidium ferendum. De ultima Larva, ſi lubet, enarrare poſſumus, quæ habet Gorlæus, eam num. 310. adferens; dicit autem Anitum, & Melitum Socratis accuſatores repræſentare. Profecto ſummus hic vir non minus illuſtris evaſit propriis virtutibus, quam Ariſtophanis ſubſannationibus, ex quibus factum eſt, ut ipſimet figuli in lagenis, aliiſque hujuſmodi fictilibus eum turpiter pingerent. Forte etiam comœdiæ omnibus his actoribus in ſcenam productæ ſunt. Sed hæc ferme divinando conjicimus.

TABULA LXII. ET LXIII.

CAPUT LXII. ET LXIII.

Quæ e conſpectu reſpicit Larva pampineis foliis coronata, ore hiante in modum conchylii, ad Bacchanalia ſpectat. Secunda, quæ in capite gallinaceam criſtam habet, & palearia pro barba, ex vultus forma barbarum quemdam referre crederem, vigilantiæ laude præſtantem, nam gallus hujus virtutis ſymbolum eſſe omnes norunt. Tertia ex coma enormiter incompoſita Septentrionalem, & fortaſſe ſilvaticum hominem monſtrat: quarta mulierem comicam.

In Tab. LXIII. ſecunda Larva crines habet criſpatos, quod Afrorum erat, ut ait Raderus ad Martialem: *Ardor enim Solis* CRINEM CRISPAT, *cerebrumque ſiccat, quæ cauſa eſt cirrorum Æthiopicorum, ut Ariſtoteles exiſtimat*. Quamobrem Martialis de Sicambris dixit:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Tertia vero præſefert ſenem calvum, atque ore hiante: alium quarta pampineis foliis coronatum, qui actores comœdiæ paſtoritiæ erant. In Bacchanalibus his Larvis utebantur ruſtici, & eas arboribus ſuſpendebant in Bacchi honorem, ut animadvertimus ex illo Virgilii carmine:

Digitized by Google

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.

Quamvis nonnulli hoc intelligant de colonorum ludo, qui funibus ſuſpenſi ex arbore oſcillabant, ut nunc quoque pueri, puellæque faciunt per ludum.

TABULA LXIV.

CAPUT SEXAGESIMUMQUARTUM.

Prima harum quatuor Larvarum, quæ in conſpectu poſitæ ſunt, corona pampinea decorata, capite calvo, & barba calamiſtrata, ut etiam tertia, Sillicæ ſunt ut diximus. Secundam brevi barba, & capillis paſſis hinc inde, & pileolo ſtriato, niſi potius ſit tenia caput circumcingens, Barbarum hominem arbitror repræſentare. Seneca hunc eſſe ait a Parthorum morem. En ejus verba: *Quid capillum ingenti diligentia comis? Quam illum vel effuderis more Parthorum, vel nodo Germanorum vinxeris, vel ut Scythæ ſolent, ſparſeris?*

Qua autem ratione tribus his gemmis potitus ſim, referam. Ad latus Viæ Latinæ bubulcus aratro offendit urnam marmoream, in qua duo annuli, & catenula, & nummus aureus Alexandri Severi. Hæc urna literata erat, cujus inſcriptio in lucem protuli inter meas Animadverſiones ad Diarium Italicum P. Montfauconis. Idem autem bubulcus poſt aliquot annos aratro pariter urnam fictilem invenit, in qua inter oſſa ſemiuſta æreum fruſtum ferme rotundum erat, quod aperiri poterat veluti pyxis, ſed rubigo ejus operuerat commiſſuram; at non omnino, nam linea quædam tenuiſſima apparebat, quo aperiendum erat. Itaque cultro ipſum aperire tentavi, ſed & culter, & pyxis confracta eſt, abiitque in fragmina minutiſſima, atque in aureum pulverem, ac ſtatim apparuerunt quatuor hæ gemmæ, quibus quum eſſem totus intentus, pulverem illum aureum negligenter prætermiſi, quem ſi ſedulo examinaſſem, forte molitum aurum eſſe comperiſſem. Hæc omnia reperta ſunt inter Lugnanum, ubi ortus ſum, & Præneſten, quamobrem conjicere quis poſ-

a Sen. epiſt. 125.

LXIV.



Plaſma



Agata



Cameo



Onice

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LXVII



TERRA COTTA

Digitized by Google

Digitized by Google

In Marmo LXVI.



Terra Cotta

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

poſſet, Larvas has Præneſtino cuiquam comico inſerviſſe, nam ea civitas ludis ſcenicis ſummopere ſtuduit, ac hujuſmodi actoribus abundavit, ut patet ex inſcriptionibus ibi repertis, quas Cl. V. Suareſius protulit in libro *De antiqua Præneſte*.

TABULA LXV. ET LXVI.

CAPUT LXV. ET LXVI.

PRima hæc ingentis magnitudinis, & enormis deformitatis Larva ex ingenio confiċta ex aliquo fonte deſumpta eſt. Secunda vero muliebris calantica ornatur variis finibus complicata, quæ ad extremitates aurium pervenit, ac in ſuprema parte, qua fronti adhæret, gemma decoratur. Mulierem repræſentat ætate maturam & forte Aſiaticam.

Tabula autem ſexageſimaſexta nobis exhibet duas pariter Larvas coloſſea forma. Prima ſpiſſis crinibus, atque impexis & barba calamiſtrata, atque aſininis auribus videtur referre barbarum quemdam, & fortaſſe Midam Phrygiæ Regem. Alteram vero referre puto puerum ingenuæ formæ, crinibus in caput obverſis, ac in gyrum per frontem diductis. Inventa fuit in quodam Columbario poſt Thermas Caracallæ, de quo mentionem fecimus. Forte imago eſt hiſtrionis ibi ſepulti, atque inter multas inſcriptiones, quas ibi omnino comminutas invenimus, nec legere potuimus, exſtabat epitaphium illius, quum mos eſſet talibus comicis ſepulcra magnifica, atque epitaphia ponere, ut de Paride Hiſtrione aliiſque teſtatur Martialis.

TABULA LXVII.

CAPUT SEXAGESIMUMSEPTIMUM.

ANaglypho opere egregie ſane excuſa eſt hæc imago ex argilla. Naturalem vultum præfert cujuſdam adoleſcentulæ, ſcitæ admodum, cujus tamen præter caput nil aliud appa-

apparet, quum argilla confracta ſit. Animadverſione dignum eſt, quod ex crinibus hujus mulieris proſiliant octo cornua, quæ illam propemodum coronant. Numquam quid ſimile adhuc vidi in tot antiquitatis monumentis. Narrat Valerius Maximus [a] libr. 5. *Genucio Cippo Prætori paludato Portam egredienti novi, & inauditi generis prodigium incidit, namque in capite ejus ſubito veluti cornua emerſerunt, reſponſumque eſt eum Regem fore, ſi in Urbem reverti ſſet*. Subdit vero idem Auctor, Genutium potius quam Regnum, ſponte ſibi exilium elegiſſe: *Cujus teſtandæ rei gratia capitis effigies ærea portæ, qua exceſſerat, incluſa eſt, dictaque Randuſculana quod olim æra Raudera dicebatur*. Hæc ferme eadem habet Ovidius libr. 15. Metamorph.

Aut ſua fluminea cum vidit Cippus in unda
Cornua; vidit enim, falſamque in imagine credens
Eſſe fidem, digitis ad frontem ſæpe relatis
Quæ vidit tetigit.

Hæc autem imago nullo modo ei convenire poteſt, nam Cippus provectior erat; Prætores enim triginta annorum fiebant, ſi tamen ætati prætoriæ tunc reſpectus habitus fuit. Præterea duo tantum cornua illi e capite eruperunt, ut addit Ovidius.

Hæc autem effigies eſt vel adoleſcentis, vel mulieris, & octo cornua præfert. De feminis Cois idem Poëta cecinit libr. 7. Metamorph.


Euripylique urbem, qua Coæ cornua matres
Geſſerunt &c.

Hæ pariter duo tantum cornua habebant, quum in vaccas mutatæ fuerint. Si figura hujus mulieris integra foret, ex habitu aliquam notitiam haurire poſſemus, at nunc non apparet, niſi tenuis veli pars circa collum Apollinis Delii aræ, teſte Politiano, ex cornibus facta erat, at neſcimus an ſacerdotes hujus templi cornibus coronati fuerint. Si quis ea potius virgulta putaret, quod nullo modo apparet, meminerit Iphigeniam in virgultorum faſce abditam, ideoque Faſcelides dicta. Sed quid ad hæc? num his virgultis coronam intexuit? quod utique non adfirmem: quamobrem inge-

a *Val. Max. libr. 5. cap. 6.*

Digitized by Google





Diaspro roſso





Corniola

Digitized by Google

gènue fateor, me neſcire hujus anaglyphi ſignificationem, & an fuerit mulier, quæ ſic ornata ad Ludos Florales celebrandos apparuerit, vel mulier comica in ſcenam ſic ſeſe præferens.

TABULA LXVIII.

CAPUT SEXAGESIMUMOCTAVUM

QUæ primo loco poſita eſt Larva in gemma ſignatoria affabre excuſa coloſſi faciem exprimere videtur. Internam oris partem reticulatam præfert, labris, ſuperciliis, & naſo craſſioribus, capillis, & barba abnormi ad terrorem incutiendum. Secunda autem pariter in gemma inciſa ſimilis eſt Larvis Terentii Vaticani, capillis obtortis circa frontem, quorum ſiniſtra pars recidit poſt caput, & in quatuor calamiſtros deſinit. In hujus gemmæ poſtica parte anaglyptice ſculptæ ſunt duæ palmæ, quæ literam M circumdant. Nullus, credo, hanc literam nomen artificis innuere reputabit, nam nec eo loco collocare mos erat, neque ſic ſcribebatur, ſed integrum. Quum palmæ, & coronæ, & literæ hujuſmodi in quamplurimis gemmis inciſæ, quas penes me ſervo, & quas aliquando publici juris faciam, & quæ Ludorum victores reſpiciunt, inſpiciantur, crederem potius hanc literam M nomen innuere illuſtris cujuſdam actoris. Quid ni hæc litera Marcum ſignificet? Sane Marcus Ulpius Trajani Libertus inter theatrales actores lauream promeruit, ut patet ex inſcriptione apud Gruterum. (a)

M. VLPIVS. AVG. L. APOLAVSTVS
MAXIMVS. PANTOMIMORVM
CORONATVS ADVERSVS HISTRIONES
ET OMNES SCAENICOS
ARTIFICES XII.

Quid ni etiam hæc litera ad ludos Megalenſes reſpiciat, qui in honorem Deorum matris celebrabantur, & in his ludis pal-

(a) *Grut. To. I. par. 2. pag. 331. n. 6.*

palmam retulerit hic actor, cujus Larva in hac gemma inciſa fuerit?

Tertia Larva in manibus Cupidinis gemma inciſi, ſenilis eſt, & coloſſea, ingenti capillorum copia, & barba impexa, ac veluti vento agitata. Quum hanc Larvam comparare non potuiſſem, illam emit ſuperiori anno Robertus Dingly Anglus, & mihi ectypum perhumaniter dedit, ex quo apparet non inelegantem eſſe, & Latina forma excuſam.

Ultimæ autem ectypum mihi communicavit ex carneola ſignatoria expreſſum Eques Nicolaus Uleughels Regiæ Academiæ Gallicæ in hac urbe conſtitutæ Præfectus, vir pingendi arte, & eruditione illuſtris; hæc refert juvenem quemdam oblique ſtantem, ex cujus humero ſiniſtro pars pallii dependet, ac ſubter dextrum brachium, quod nudum eſt, convertitur. Ante ſe habet Larvam ſuper columellam poſitam. Palma, quæ prope tergum inciſa eſt, videtur innuere, eum clarum fuiſſe poetam comicum, qui ob ſua carmina palmam retulerit.

TABULA LXIX.

CAPVT SEXAGESIMVMNONUM.

INter tot Larvas nulla fortaſſe eſt tam nova, & inuſitata, quam hæc hujus Tabulæ: affabre ſane in annulo inciſa, quam a D. Raymundo Teſtorio Romano emi. Quid autem ſignet, & quale inſtrumentum in manibus teneat, & quomodo eo utatur, prorſus neſcio. Fortaſſe quidam Scabillarius eſt, quorum Collegium, & Decuriæ Romæ erant, ut ex his inſcriptionibus patet.

PV-



In Giacinto guernaccino

Digitized by Google

PVBLIVS
ETTHVRI VRIES
SEY DE COLLEGIO
SCABILLARIORV
D. X.

DEC. XII.
C. IVLIVS
CYTHISVS
COLLEG. SCABILLARIORVM

Hæ inſcriptiones repertæ fuerunt anno 1734. in Columbariis effoſſis in quadam vinea prope Eccleſiam S. Cæſarei, quæ ad PP. Somaſcos pertinet, ſimul cum aliis octoginta, quæ omnes ſepulcrales erant, & quibus potitus ſum favore eruditiſſimi P. Franciſci Baldini nunc, dum hæc eduntur, Somaſcorum Familiæ Generalis Præfecti. Ex teſtimonio Bartholinii *de Tibiis veterum* Scabillares erant ii, qui tibiis canebant, ac ſub pede, ut ait Pollux libr. x. ſpeciem quamdam habebant ſandaliorum, aut ex ligno, aut ex ferro, aut ex alio aliquo metallo. Hæc Sandalia *Crupetia* appellabantur ex ſonora percuſſione: *Quippe in theatris* (ait Bartholinius)[a] *qui pede pulpitum percutiebant, ut ab omnibus melius crepitus ille intelligeretur, ligneas ſoleas ſub pedibus habebant, interdum & ferreas, ut clarior eſſet ſonus.* Hoc rythmo, ſeu numero muſico choro ſignum dabatur, ut canere inciperet, vel etiam Pantomimis norma, qua geſtus, & ſaltus regerent. Tibicines pariter ſuis tibiis canentes pede ſic armato pulpitum percutiebant in ſymphoniis ad ceteros pſaltes moderandos; quod enarrat Beatus Auguſtinus libr. 4. de Muſica; *Veluti quam ſymphoniaci Scabilla, & Cymbala pedibus feriantur certis quidem numeris, & his, qui ſibi, cum aurium voluptate junguntur, ſed teno-*

M *re per-*

a *Barthol. de Tib. veter. lib. 3. cap. 4.*

. . . . & ad inſpirata rotari
Buxa.

Ubi vetus interpres ait: *Buxa tibia vel ſcabellum, quod in ſcenis tibicines pede ſonare conſueverunt*; cui inhæret Abrahamus in ſuo Commentario ad Ciceronis Orationem pro Cœlio, dicens: *Quid ſi dicamus ſcabella organa quædam fuiſſe, quæ inſtar noſtrorum organorum ſpiritu in tabulis recepto, ſaltantium pedibus numeroſe pulſata, ſonitum illum emitterent*? Et fortaſſe non ejuſdem formæ fuerunt ſcabilla, ita ut magis ad præſentem figuram explicandam conducant loca adlatorum ſcriptorum. Et ſane fuerunt ſcabilla nova, & vetera, ut patet ex inſcriptionibus. Attamen inſtrumentum, quod ſpiritu inflat hic quicunque depictus vir, potius dicendum arbitror aliquod ex illis, quorum nobis adhuc ignotum nomen, quamvis apud veteres in uſu fuiſſent, ideoque a ſcabillo omnino diverſum. Mercurialis [a] de Arte gymnaſtica ait: *Etiam athletas oſtentationis, & ſpectatorum voluptatis gratia, in ſpiritus retentione ſe quandoque exercuiſſe inde conjicere licet, quod Milonem illum capite, & fronte, ac etiam coſtis, & pectore robuſtis, vittis ligato, tandiu ſpiritum retinuiſſe legimus, quouſque præ impetu intumeſcentes venæ ligamina illa diſcinderent*. Quamobrem ſuſpicor, an hic vir inflare conetur hoc quodcumque eſt inſtrumentum forte coriaceum, quouſque illud diſrumpat. Etiam Bulengerus [b] ſcribit: *Pithaules e tibicinum numero fuit, diciturque, qui ludis Pythiis tibia canit. Pithaules vero, qui ἐν πίθῳ ideſt cado ligneo tibiam inſpirat*. Quæ verba ſtatim ad rem noſtram facere videntur; ſed quæ ſubdit, neſcio, an potius monſtrent Bulengerum aliud intellexiſſe ac quod expreſſum eſt in hac gemma. Subdit enim: [c] *Certe Pithaules, cum inſpiratam in cado ligneo, aut eburneo concepiſſet animam, per fiſtulam vocalem foraminibus in ea diſpoſitis, ita modulationes, & frequentamenta efficiebat. In cadis enim impares tibiæ animatæ hominis ſpiritu, foraminum varietate, aut regularum motu ſonitum edunt*. In hoc

 tamen.

a *Mercur. libr. 3. cap. 6. in fin.*
b *Buleng. libr. 2. cap. 29. in princ.* c *Id. ibid.*

tamen noſtro inſtrumento & cadus, & forte tibia apparet, ſi tubus ille globulis interceptus pro tibia ſumatur; quæ eruditi lectoris arbitratui relinquimus.

TABULA LXX.

CAPUT SEPTUAGESIMUM.

PRima harum Larvarum penes me eſt in annulo ſignatorio & ſenem refert, magno, & hiante ore, ut dolore, & terrore affectus videatur. Breves habet crines partim in frontem recidentes, & utrimque in tempora, ita tamen ut aures appareant. Naſum habet ferme ſimum, & barbam criſpatam, & mentum acutum. Secunda vera e conſpectu reſpiciens oculos habet ſtrabos, os apertum, & quaſi quadratum, & naſum preſſum, & crines breves, qui frontem cooperiunt, hinc inde longiores, & vento ferme agitatos. Super tempora duo poſiti ſunt flores. Hac Larva fortaſſe uſi ſunt Antiqui in ludis Bacchanalibus. Tertia ornatur capillis arcte calamiſtratis & comptis, & ſupra frontem elatis in formam calanticæ, ſeu galericuli muliebris, & per tempora, & genas hinc inde decidentibus, & in graciliores calamiſtros evadentibus. In occipite crines præferunt formam caniſtri ſtriati, quæ forma valde notanda eſt. Quarta habet ſibi conjunctam aliam Larvam, quæ Fauno, vel Sileno ſimilis eſt, floſculis coronata, de qua ſuperius differuimus. Quinta, quæ ſequitur, Larva juvenem demonſtrat ore hiante, & nil peculiare habet præter crines, qui ferme ſtroppo frontem circumdant. Ceteri crines criſpati ſunt, ac veluti pileum efformant. Subſequens Larva duos ſimul jungit vultus, alter viri, alter feminæ, ſed viri Larva more muliebri crines habet comptos. Septima calvo, & rotundo capite, & oculis itidem rotundis, preſſo naſo, & ore in formam conchylii facto videtur eſſe ridicularii cujuſdam ſcenici. De ceteris autem, quæ præteritis ſimiles ſunt, jam differuimus; & ſi quid varii habent nil mirum eſt, tot enim erant actores Romæ, præcipue Auguſti ævo, quo ludi ſceni-


ci ma-



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

ci magnificentiſſime celebrabantur, & ad quos hiſtriones omnium nationum conveniebant, ut quamplurimæ etiam Larvæ inter ſe variæ efformarentur. Hi ludi & in foro, & in amphiteatro, & in circo, & in ſeptis Campi Martii fiebant teſtante Svetonio [a] in vita ipſiuſmet Auguſti. *Spectaculorum & aſſiduitate, & varietate, atque magnificentia omnes anteceſſit. Feciſſe ludos ſe ait ſuo nomine quater: pro aliis magiſtratibus, qui aut abeſſent, aut non ſufficerent, ter & vicies, fecitque nonnumquam etiam vicatim, ac pluribus ſcenis per omnium linguarum hiſtriones non in foro modo, nec amphitheatro, ſed in circo, & ſeptis.*

TABULA LXXI.

CAPUT SEPTUAGESIMUMPRIMUM.

PRima hujus tabulæ Larva, enormiter a naturali ſtatu detorta, oculis grandioribus, & rotundis inſtar mali medici, ſuperciliis monſtroſis, naſo informi, & oblongo, & in vertice rotundo, ore hiante, & mento exporrecto. Pileum habet pelliceum ſtriatum, variis teniis confectum, quarum nonnullæ ſupra frontem ſeſe extollunt, nonnullæ vero poſt cervicem procidunt. Hæc Larva inter Lamias adnumeranda eſt, de quibus ſuperius loquuti ſumus. Secunda Larva vultu naturali, ſed artificioſe detorto, in ebure cælata eſt, caput & collum obvellatum habet, & nonnihil comæ in fronte apparet. Os hians, & naſus oblongus refert perſonam illam, quam vulgo *Giangurgolo* appellamus, incertumque eſt, virum, an mulierem repreſentet. Dicerem ſacerdotem eſſe, ſi mihi conſtaret ab Ethnicis ſuos ſacerdotes, ſacroſque eorum ritus deriſui habitos fuiſſe in ſcenis, nam ſacerdotes ſic velati ſacrificabant, quapropter imagines etiam Imperatorum, quod Pontifices Maximi eſſent, ſic velatæ aliquando conſpiciuntur. Suſpicor etiam hic cujuſdam peculiaris viri imaginem eſſe ad vivum expreſſam. Tertia adoleſcentuli e conſpectu reſpicientis, ingentiſque formæ, Larva

a *Sveton. ibi. cap.* 43.

Larva in annulo ſignatorio eleganter ſculpta eſt, atque inter rudera antiquæ Præneſtes inventa. Dono a me data fuit D. Stephano Moccio Præneſtino ſummæ integritatis viro, & auditoris Cameræ Apoſtolicæ Locumtenenti in Criminalibus, qui quamplurima ſuæ patriæ monumenta collegit. Quarta autem ſigillum eſt apud me. Vir apparet ſedens, & caput habet pileolo tectum, ore hiante in modum conchylii. Specie quadam ſagi cooperitur, quo totus ferme circumdatur, ex quo dextrum brachium exerit more ſervorum. Quinta tandem ſuper caput habet cyathum, in cujus medio prominet pyramis rotunda, & acuta. Hic cyathus illi pro galero eſt. Involvitur penula, & barbam habet oblongam cum duobus muſtaciis, & auribus aſininis. Corona pampinea caput ornatur. Hæc figura, ut puto, ad ludos ſcenicos Bacchicos pertinet...

TABULA LXXII.

CAPVT SEPTVAGESIMVMSECVNDVM

Nimis ex ingenio hæc prima Larva efformata eſt, pileolo in extremitate circa frontem reducto, auribus grandioribus, & barba oblique detruncata, itaut dimidium tantum menti cooperiat. Iratum virum repræſentat. De Prometheo fingunt Poetæ, ſtatuam ſuam ex variis animantibus efformaſſe, unde Horatius libr. 1. Od. 16.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.

Idem dicendum arbitror, de antiquis ſculptoribus, qui non ſemper Larvas, quæ in ſcenis uſuveniebant, ſed multoties ex ingenio efformarunt, quod patet in grandioribus illis Larvis, quæ in membris architectonicis ſculptæ ſunt, vel in fontibus, vel in cultrorum capulis. Secunda Larva ingenti forma, & ore quadrato, naturale os, & oculos illius viri, qui ea utebatur, manifeſte demonſtrat ſub ea larva laten-

Digitized by Google



Terra cotta



Metallo



Cameo in giacinto guernaccino

Digitized by Google

Digitized by Google

LXXIII.



Franceſco Mazzoni ſculp.

Digitized by Google

latentes. Ejus veſtis, quam circa caput habet, cocullus videtur, & forte non abſimilis eſt a bardocucullo, quo utebantur Galli, & ſimilis certe eſt tegumento illi, quo noſtri nautæ veſtiuntur, quodque *Cappotto* appellatur, de quo Martial. 4. Ep. 133.

Gallia Cantonico veſtit te bardocucullo
Cercopithecorum penula nuper erat.

Verum hoc capitis tegumentum aliquantum detortum eſt ad mimicos uſus, nam & aſininas habet aures, & in frontem recidit more pilei Phrygii.

Tertia Satyrum refert, cui crines ipſi cornua efformant. Capulum arbitror cultri, ut de prima hujus tabulæ Larva diximus. Nonnullæ Larvæ æneæ etiam ex his, quas hucuſque retulimus, infigebantur capſulis pro bullis ad earum ornamentum. Quarta tandem Larva forma coloſſea in gemma pretioſa inciſa, deformi vultu, inter lamias referenda eſt, & ad terrorem incutiendum inventa videtur.

TABULA LXXIII.

CAPVT SEPTVAGESIMVMTERTIVM.

HÆc ſtatua nullibi fracta, graphice in hac tabula ex marmore Pario expreſſa, in Muſeo Copitolino adſervatur, tam adfabre a Græco artifice ſculpta, ut nihil ſupra. Puerum refert forma quaſi coloſſea, altitudinis palm. 5. qui ſedens ſuper pellem caprinam Larvam tenet elatam, forma itidem coloſſea, arreptam manibus, & eam capiti ſuo aptare, vel detrahere nititur. Illam CLEMENS XII. in Capitolio collocavit una cum ingenti copia ſtatuarum, tum Græcarum, tum Latinarum, anaglyphorum, hermarum, ac Ægiptiorum ſimulacrorum, ut ex tot tantiſque antiquorum artificum monumentis, noſtri, futurique ævi artifices erudirentur, doctique viri lumen captarent ad fabulas, hiſtorias, numiſmata, & cetera hujuſmodi illuſtranda. Quid autem hic puer, qui non e lapide, ſed ex carne factus videtur, ſibi velit, adfirmare non audeo, ſed conjectando dicerem, Genium

Genium eſſe viri ingenui, & gravis, qui a ſeverioribus muniis ad honeſta oblectamenta divertere ſtudet. Non eſt inſolens ſub pueri ſpecie Genium, & munera, actioneſque graviores ſub exuviarum ferinarum ſymbolo repræſentare, uti etiam Larva Silenica ludos deſignat theatrales, quamvis Larvæ horribiles, & monſtroſæ ad comœdias potius ſpectarent. Attamen illis tantum Larvis comici utebantur, quæ in ſpeciem, & primo intuitu terrorem, poſtea vero riſum excitabant. Tragœdorum vero Larvæ non abnormes erant, ſed naturales, verum ad luctum, & dolorem, & hujuſmodi alios affectus ſummopere detortæ, ingentibus ſcilicet ſuperciliis, & crinibus incomptis. Talis eſt, quam ſuſtollit hic puer, quare eam potius crederem tragœdiam, quam comœdiam reſpicere. Poſt ingentes exantlatos labores notum eſt homines ad ludicra animi gratia tranſire: ut ex Romanorum Imperatorum exemplo conſtat, qui poſt devictos hoſtes, poſt cædes inimicorum, poſt exercitus profligatos, poſt regna, & provincias in poteſtatem redactas ſpectaculis, venationibus, ludis indulgebant, quod ex antiquis anaglyphis apparet. Amaſis Rex teſte Herodoto libr. 2. quum diem ſolidum gravioribus muneribus, & officiis impendiſſet, poſtea ſero facto conviviis cum familiaribus animum recreabat, atque jocis inter amicos reficiebat. Et quum a quodam neceſſariorum argueretur, quod nimium regiam majeſtatem abjiceret, reſpondit. Qui arcum poſſident, quum illo opus habent, intendunt, poſtquam autem eo uſi ſunt, remittunt; nam ſi perpetuo intentus eſſet, frangeretur, & quum opus eſſet, uti jam illo non poſſent. Talem & hominis conditionem eſſe. Si aſſidue ſeria tractare, nec ullam partem ad luſum ſibi indulgere velit, fore ut ſenſim ſine ſenſu, aut mente captus, aut ſtupidus evadat.


TA-

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

TABULA LXXIV. ET LXXV.
CAPUT LXXIV. ET LXXV.

PRima harum Larvarum, quæ Tab. LXXIV. habentur, naturali forma grandior, peculiari pileo ornatur, qui pilis riget. Hujuſmodi pileis caput ſuum tegunt nonnulli milites in columnis Trajana, & Antoniana ſculpti. His etiam utebantur beſtiarii, ut apparet ex anaglypho argillaceo, in quo pars Circi cælata eſt, & quod in refertiſſimo harum rerum Muſeo Collegii Romani adſervatur. Secunda coloſſea a conſpectu reſpiciens, ſex foliis pampineis coronata, inter quæ pendent quatuor lineæ ex acinis uvæ; quemadmodum etiam quinta Larva recalvaſtra ſimili modo ornata, ad Bacchanalia ſpectant. Tertia, & quarta, inter quas medius ſtat pedus, in eadem gemma inciſæ, herum, & ſervum referunt. Herus autem ille eſt, cui ingens pileus caput tegit, & ad quem attinet pedus. Ambæ ad comicos uſus ſunt aptatæ. Poſtrema vero, quæ pileum gerit teniis intortis compoſitum, & duobus corniculis, quæ ex fronte erumpunt, ſervilis, & comica eſt.

In Tab. LXXV. tres figuræ ſunt graphice delineatæ, prima earum ſenem ſeminudum more philoſophorum repræſentat, naturali vultu, & ſedentem, tenentemque ambabus manibus librum apertum e conſpectu capitis cujuſdam adoleſcentuli ſuper columellam collocati. Hunc poetam eſſe comicum ex his omnibus apertiſſime dignoſcitur. Librum, quem hic poeta præ manibus habet, pugillarem appello, qui tabulis ceratis inſtruebatur, in quibus graphyo ſcribebant Antiqui; ut nunc etiam mos eſt ad memoriam levandam ferre ſecum in pera libellum cartis gypſatis conſtantem, in quo eadem ratione nonnulla exarantur, ne memoria excidant. Quod non abhorret a verbis Auſonii epigr. 3. *In notarium*, ubi legitur: *Bipatens pugillar expedi*. In hanc rem minime omittendam putavi inſcriptionem nondum in lucem prolatam, quæ in columbariis ultra Thermas Antonini

Digitized by Google

nini Caracallæ reperta eſt, quam dono dedi Muſeo Kirkeriano Collegii Romani, in qua ſit mentio artificis pugillariorum.

C. VOLCACI C. L. ANICETI
DEDIT
M. CAECILIO. HILARO
PUGILLARIO

Secunda eſt adoleſcentulæ cujuſdam alia veſte ſuper pallam induta, ut eſt ſimulacrum Floræ e Villa Hadriani erutum, quod ſervatur in Muſeo Capitolino. Inter has veſtes hæc femina pedum tenet, pedibus, manibuſque nudis. Dextera Larvam ſuſtinet, mento eidem dexteræ innixo, & ſiniſtra crines ejuſdem Larvæ arripit, ut eam ſuſtollat. Forte Muſa Thalia eſt, ni ſit femina theatralis, quæ Larvam, qua utebatur in ſcenis, contempletur. Hæc autem vultum naturalem exprimit.

Tertia tandem poſt ſe habet rotundum ſedile ſcrinio ſimile, & mulierem in ipſo juventutis flore repræſentat. Siniſtro pede innititur vaſis encarpis ornato, & ſiniſtra manu Larvam tenet, cui dextera innuit. De hac idem dicendum arbitror, nempe mulierem comicam eſſe.

TABULA LXXVI.

CAPUT SEPTVAGESIMVMSEXTVM.

DUÆ Larvæ majores humana forma in hac Tabula ſunt delineatæ. Primæ egregie ſculptæ caput tenui velo obnubitur, quo totum circumdatur, duobus teniis retrorſum decidentibus ex eodem velo confectis. Oculis, ſuperciliis, & naſo grandioribus, atque a naturali forma detortis, ſed præcipue ore, quod longum, & amplum præter modum eſt, atque exporrectum, ut mentum efformet. Duæ arundines, ſeu bacilli, qui ante ipſam poſiti ſunt. in uſu erant apud ſcenicos ſaltatores, ut vidimus in Tabulis IX. XXVIIIL.

Se-



Digitized by Google

Digitized by Google



Baſso rilievo



Cameo di colore di carne



Pasta

Digitized by Google

Secunda Larva e conſpectu reſpiciens, capite calvo, pampineis foliis, & uvis coronata Bacchica eſt. Notatu digna apparet barba, quæ a naribus propendet, horrens, & ſex ſuperiores dentes grandi forma, qui ex ore hiante prominent. Hæc Larva eleganter ſculpta in achate lactei coloris variis, & diſcoloribus venis in fundo mihi data fuit a D. Raimundo Teſtorio Romano harum rerum minime ignaro.

Tertia graphis refert ſenem calvum abſque barba nonnihil crinium in occipite habentem, & philoſophico pallio obvolutum, qui ſub nudis ſcapulis eum circumdat. Baculo innititur, ac eum deambulare diceres. Ore hiante Larvam adoleſcentulæ contemplatur, quam læva ſuſtollit. Hic profecto apparet poëta comicus.

TABULA LXXVII.
CAPUT SEPTVAGESIMUMSEPTIMUM.

FRuſtum marmoris exprimitur primo in hac Tabula, in quo adeſt inſcriptio Græca in fronte, in latere autem conſpicitur columella, ſuper quam poſita eſt Larva duobus calamiſtris ornata, & pone eam adſtat adoleſcentula veſte talari induta, quæ capite, & cruribus caret. Dextra manu tibiam tenet, quæ loco foraminum ſeptem dentes ſeu lingulas habet, nonnullis tibiis apud Bartholinium ſimilem, quamvis illæ non ſeptem, ſed tribus tantum donentur. Non facile inveſtigari poteſt ratio hujus marmoris, quum tam mancum appareat. Inſcriptionem ſic interpretari poſſumus: *In ante diem xvii. Kalendas Apriles*, quo tempore Bacchanalia in Urbe teſte Pacicchellio celebrabantur, quare hoc marmor ad ea feſta reſpicit, in aliqua dedicatione poſitum, vel quum acti ſunt ludi ſcenici. Forte etiam frons erat urnæ ſepulcralis, & diem enunciabat, in quo mortuus eſt excellens aliquis comicus vel tibicen in illa ſepultus. Verum non hoc adfirmare auſim, quod nomen defuncti, ut moris erat, in Inſcriptione non ſit adpoſitum, & alia quæ in epitaphiis apponebantur. Hoc marmor adſervatur in Muſeo Collegii

Digitized by Google

Romani, in quod ab eruditiſſimo P. Contuccio inlatum fuit, quum illud ei donaverim. Secundo loco Larva eſt graphice delineata ex anaglypho annulari, eratque apud D. Robertum Pingly Anglum. Caput eſt calvi ſenis, grandi forma, & barbam habet qualem Sileni præferunt, quæ in decem calamiſtros diſpeſcitur.

Tertio loco tres ſunt Larvæ ſimul junctæ, altera forma naturali mulierem comicam refert; altera, quæ in occipite eſt, vultum exprimit ſenilem & calvum, & barbam ſuper aures porrectam habet. Tertia in capite harum duarum Larvarum poſita ambas tegit; pileo pelliceo pilis hirto, magnis ſuperciliis, naſo, & genis, & ore terribili, & in ſimilitudinem conchylii efformato. Putandum eſt his Larvis uſam eſſe mulierem illam inter Hiſtriones, & Pantomimas adnumerandam; his enim artibus mulieres non mediocri lucro ſtudebant, ut ait Seneca; [a] *Beatiores ne iſtos putas, quorum Pantomimæ decies ſeſtertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi a Senatu tutore ſuo in dotem æs grave acceperunt*. Et alibi. *In pulpito Pantomimorum viri & feminæ tripudiant*. Nonnulli fortaſſe putabunt primam lineam hujus inſcriptionis ſupplendam eſſe ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ, ideſt Diis Manibus, & tunc inſcriptio ſepulcralis eſſet cujuſdam tibicinis, & diem mortis vel depoſitionis innueret.

TABULA LXXVIII.

CAPUT SEPTUAGESIMUMOCTAVUM.


HÆ tres Larvæ graphice, & diligenter in hac Tabula delineatæ ſunt ex ſuis archetypis. Prima, coloſſea forma, inciſa in annulo ſignatorio valde notanda eſt. Hinc inde e temporibus illi pendent duo vitis folia, in ore ejus apparet vultus infantis, brevibus capillis circa frontem ornati, qui uſque ad genas procurrunt. Apud Auguſtinum, & Gorlæum conſpicitur Larva, in cujus ore integer puer exculptus eſt, ac Ludum, ſeu Jocum repræſentare ipſum dicunt,

a Senec. De Conſol. ad Helv. cap. 12.

LXXVIII.



Calcedonia Zafferina



In Agata




Metallo

Digitized by Google

Digitized by Google

LXXIX.



Lucerne

Digitized by Google

cunt, quapropter idem dicendum erit de hac noſtra Larva, & puerum hunc Jocum eſſe, qui in vindemiis, & feſtis Bacchanalibus plurimus intercedebat. Hæc Larva ſuperciliis grandioribus & retortis inſtar rudentis, & capillis eodem modo circa frontem compoſitis, qui variis ligamentis dividuntur, & barba extenſa, & ampla, operis eſt admodum elegantis, ipſamque Capua huc tulit Baro Stayn, eaque potitus eſt dum in ea urbe ſtipendiis Imperatoris militabat.

Secunda duobus capitibus conſtat, altero ſenis calvi, prope quem delphinus eſt, & Socratem omnino refert: altero vero capillis ordine compoſitis, qui ſpeciem formant calanticæ ſuper frontem, vultum iratum vel dolentem præfert, ac forte uxorem Socratis repræſentat, quæ perſonæ non raro in ſcenam inducebantur. Prope hujus vultum pedus paſtoralis expreſſus eſt, qua ratione neſcio. Delphinus prope Socratem innuere poteſt hujus philoſophi ſtudium erga muſicam, nam delphinum ipſa delectari notum eſt ex caſu Arionis, de quo loquitur Ælianus, aliique Scriptores.

Tertia Larva ærea undequaque integra, & opere rotundo ſculpta vultum præfert naturalem, ſed dolore confectum. Riſum tamen movet, quod pileum, ſeu bardocucullum habeat ſex acutis extremitatibus diſtinctum cum globulo in fronte.

TABULA LXXIX.

CAPUT SEPTUAGESIMUMNONUM.

TRes lucernæ hic ſunt delineatæ ad comicos ſpectantes. In prima eſt vultus mulieris adoleſcentulæ cum ingenti copia capillorum in novem calamiſtros ſupra frontem compactorum, qui duabus teniis circa eamdem frontem colligantur. Alii duo calamiſtri valde longi pendent hinc inde circa genas; ex quo mulierem barbaram, quæ comœdiis agendis ſtuderet crederem, ut de ſimilibus Larvis jam dictum eſt.

Secunda lucerna continet ſenem nudum ſedentem

ſuper

ſuper pannum vultu quaſi ſilveſtri, & capillis admodum brevibus, enormique faſcino. Lyram pulſat, eodemque tempore canit, & ex ejus ore quatuor dentes prominent.

Tertia lucerna tragicam actionem, ut puto, refert, quid autem innuat neſcio. Videant igitur eruditi. Si quid loci exſtat conjecturis, Atrei caſum crederem, qui filios frátris occidit, illique eos manducandos adpoſuit. Et quamvis Seneca in ejus tragœdia hoc factum eſſe dicat abſente matre, aut nutrice, ut [a] Horatii præceptum ſequeretur:

multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,

attamen hic ſculptor aliam ſequi potuit narrationem. Videmus igitur in hoc anaglypho virum & mulierem veſte talari ambos indutos cum galericulis calamiſtratis & elatis in formam mitræ tenia circumligatis. Vir puellum ſuper ſiniſtrum humerum tenet, brachio ejus ſiniſtra manu apprehenſo, ac manu dextra enſem ſuſtollit, videturque ipſum jam occidiſſe, dum mulier grandiori puero vivo brachiis apprehenſo fugit, ut illum a cæde eripiat. Hæc tamen divinando potius quam conjectantes dicimus, nam antiqui Scriptores non omnia enarrarunt, & ſi enarrarunt, eorum ſcripta ad nos non pervenerunt, quod ſi perveniſſent, in explicandis antiquis monumentis plus lucis haberemus. Forte huic anaglypho Plauti [b] aptanda ſunt:

Qui utuntur vino vetere, ſapientes puto,
Et qui libenter veteres ſpectant fabulas.
Antiqua opera, & verba, quum vobis placent,
Æquum placere eſt ante veteres fabulas.
Nam nunc novæ, quæ prodeunt comœdiæ
Multo ſunt nequiores quam nummi novi.

Ex quibus verbis apparet, quamplures exſtitiſſe comœdias & tragœdias, quæ perierunt, quod infortunium comœdiæ ipſius Plauti magno Latinæ linguæ, & eruditionis detrimento habuerunt.

TA-

a *Hor. Art. Poët. v. 185.* b *Plaut. in Prol. Caſinæ.*

LXXX.



TABULA LXXX.

CAPUT OCTOAGESIMUM.

IN Tomo tertio Muſei Florentini pag. 59. delineata eſt ſtatua cujuſdam Fauni ſcabillaris cum crotalis præ manibus, & ſcabillo ſub pede dextero, de qua eruditiſſime, ut aſſolet, in eo loco differunt Antonius Franciſcus Gorius tot voluminibus ab eo in lucem prolatis illuſtris. Quum autem hæc ſtatua multum conferat ad præſens argumentum, iterum illam hic proferre volui, non ut aliquid novi in ejus enarratione afferam, ſed ut clarius appareat, quale ſit hoc inſtrumentum, ejuſque figura. Videtur compactum ex corio multipliciter complicato veluti follis, ac in medio duo habet hemiſphæria in formam crotalorum. Imo duo folles crederem, alter ſuper ſoleam ex ligno, ſeu ex alia materia, quæ pavimentum tangeret, alter vero plantæ pedis ſcabillaris alligatus. An vero illa hemiſphæria per ſe ipſa reſonarent, & forent duorum follium foramina, quæ ſonum emitterent vel ex ſe, vel ex aliquo alio hiatu, neſcio. Sicut etiam ſonatoris geſticulatio, an ſit facta ob rythmum, quo ſonus ſcabilli cum ſono crotalorum ad harmoniam ciendam concordet, vel motus quidam geſticulantis ob lætitiam, aut voluptatem, quam ob artis excellentiam Scabillaris ille percipiebat. Innuam tantum hanc ſtatuam, ultra quam dici poſſit, excellentiſſimi eſſe operis, ac fortaſſe repræſentare celebrem quemdam Scabillarem, ut fuit Marcus Septimius Septimianus, cujus inſcriptionem protulit Panvinius, & in ſuam collectionem intulit Gruterus, quæ hujuſmodi eſt:

M. SE-

Digitized by Google

M. SEPTIMIO. M. F. HOR
SEPTIMIANO
EQVO. PVBL. IIII. VIR. I. D.
PRAEF. FABR. ROMAE
DEC. IIII. SCAMILLAR
OPERAE VETERES
A. SCAENA PATRONO. OB
MERITA. EIVS. L. D. D D.

Scabillaris autem, & Scamillaris idem eſt apud Antiquos. Hæc eadem ſtatua operis profecto veteris manifeſto apparet, tanta eſt elegantia ſculpta.

TABULA LXXXI.

CAPVT OCTOAGESIMVMPRIMUM

HAud diſſimilis eſt hæc prima Larva ab ea, quam exhibuimus Tab. XXXVI. Senem refert capite calvo, & barba calamiſtrata, planipedem, & caligis piloſis uti etiam tunica, qua veſtitur uſque ad genua; ſuper quam aliam habet veſtem circa lumbos contortam hodierno more. Tunica, & caligæ hujuſmodi peculiates omnino ſunt nec in aliis comicis viſæ. Neſcio an tales veſtes lautiores forent. Scio equidem mantilia ſeu ad manus tergendas, ſeu ad menſas inſtruendas majoris pretii habitas fuiſſe, ſi tales forent, ut Ovidius innuit libr. 4. Faſtor. circa finem:

Dixerat. A dextra villis mantele ſolutis,

Et Martialis a:

Nobilius villoſa tegant tibi lintea citrum.

Nunc hujuſmodi veſtibus utuntur nautæ, ac imi ſubſellii homines contra frigus. In Muſeo Kircheriano vidi Silenum fictilem, ſeu aliud numen ruſticum altitudinis ferme palmi unius totum piloſum. Verum aliam non habet veſtem.

Quam-

a *Mart. libr.* 14. *epigr.* 138.



Corniola

Corniola

Baſſo rilievo

Digitized by Google



Digitized by Google

Quamobrem putandum eſt hic etiam ruſticum numen repræſentari, cujus typum datum mihi a Gabriele Davidis Filio Medina Liburnenſi e ſuo annulo ſignatorio, apud me habeo, & eſt artificis Græci opus.

Secunda Larva in annulo pariter ſignatorio inciſa, prope Neapolim reperto, mihi miſſa fuit a Domino Felice de Turris, qui magnam vim nummorum Conſularium ex omni genere metallorum poſſidet. Hæc refert puerum ſaltantem brevi tunica veſtitum, quæ eum totum tegit uſque ad medias coxendices. Larvam habet in ſummitate piloſam, grandioribus oculis, & ore, e quibus oculi, & os pueri apparet, & magna genarum pars, in reliquo nudus; calceis vero tenuiſſimis, duabus alis ornatis, quæ ejus velocitatem, & artem ſaltandi demonſtrant. His calceis ſimiles ſunt ſocci, quibus ornantur tres figuræ æreæ Hiſtrionum, quas nobis exhibet eruditiſſimus Gorius To. 2. pag. 371. Inſcriptionum Etruriæ, quorum delineationem illi communicavit Marcellus Venutus Rudolphini Frater, ambo illuſtres antiquarum rerum notitia, & operibus in lucem prolatis. Multæ inſcriptiones memoriam ad noſtra uſque tempora ſervarunt nonnullorum excellentium ſaltatorum puerilis ætatis, aut Pantomimorum, in ludis ſcenicis celebrium vel cantu, vel geſticulatione. Hic addam inſcriptionem Caii Reguli mortui anno duodecimo, & menſibus tribus ætatis ſuæ.

D. M.
MEMORIAE. C. REGVLI. MORIBVS
DECORE. NATALIBVS. DD.
HYACINTHO
VEL. NARCISSO. COMPARANDI
QVI
VIXIT. AN. XII. M. III. TER. IN
SPECTAN. S. P. Q. TRAIANEN
QVATER
IN CVRIA. SPECTANTE. IMP.
M. ANTON.
PROCOS. SALTAVIT. CANTAVIT
IOCIS OMNES ....

O Nul-

Nullo modo omittere volui tres Larvas (inter quas inſcriptio Græca cum candelabro , palma , & cornu olei , & nonnullis Hebraicis characteribus) anaglypho opere ſculptas in fronte operculi cuiuſdam urnæ ſepulcralis , quæ ſervatur in Muſeo Collegii Romani , ſeu Kircheriano . Vox *Scialon* Hebraica , quam mihi hujus linguæ ignaro interpretatus eſt eruditiſſimus P. Contuccius , pacem ſignificat , quamvis in ultima litera mendum irrepſerit , quod deſignat non ab Hebræis nativis , ſed a Græcis ritu Hebraico utentibus ſcriptam eſſe ea ratione ſane barbara , quam *Safardi* appellant critici . Hanc autem inſcriptionem ſi characteres Græcos , & Hebraicos ſimul jungas , ſic interpretari poſſis :

HIC. IA
CET. FAVSTINA
PAX

De candelabro , & de cornu olei videndus eſt eruditiſſimus Senator Bonarrotius in enarratione antiquorum vitrorum , qui quamplurima profert lectu digniſſima p. 22.

TABULA LXXXII.

CAPUT OCTOGESIMUMSECVNDVM.


PRima hujus Tabulæ figura , cujus typum mihi dedit P. Alexander Salarolius civis Bononienſis , e gemma ſignatoria Latini artificii , juvenem refert auribus aſininis , & quadam corona , quæ in fronte aliquantulum eminet , coronatum . Notanda eſt ejus tunica , in qua dexterum brachium involutum eſt , & fortaſſe ſiniſtrum , & peculiari modo corpori aptata . Expeditum ſeſe demonſtrat , & paratum ad juſſa , alacritate quadam & velocitate exilientem , quod etiam demonſtrant alæ pedibus ejus alligatæ , ut Mercurii talaria , quamobrem nonnulli eum putant Mercurium repræſentare , ni ſit δρομεὺς quidam celebris , quorum uſus apud Antiquos non ignotus . Verum non eſt alienum ab Antiquorum more per-





Cameo

Corniola



Corniola

Digitized by Google

Digitized by Google



Giacinto *Corniola*

Digitized by Google

perſonam induiſſe alicujus numinis, ut diſcimus ex Svetonio in vita Auguſti, qui perſonam Apollinis ſumpſit. Verum aures aſininæ quid ſibi velint, non intelligo, neque omnino ad Mercurium attinet. Secunda Larva vultum habet naturalem, qui e conſpectu eſt, & ridicularii cujuſdam videtur. Ectypum ejus eſt apud Gabrielem Medinam, & eſt operis profecto elegantiſſimi, & coloris carnei. Tertia Larva in carneola inciſa, quam dono mihi dedit Eques Paulus Petrus Lilius mihi amiciſſimus, ſenem calvum ſedentem præfert naturali vultu, & acuta barba, & veſtimento oblongo, quod togam quodammodo refert. Orientali viro ſimilis eſt, & manum dexteram profert, cetera involutus præter pedes. Digitum indicem ſuſtollit, quaſi loquatur cum quadam Larva illi e conſpectu poſita ſuper columellam in formam ſcrinii. Hæc autem Larva grandi forma barbam habet eodem modo acutam, & capillos obtortos, & in frontem ingenti tumulo obductos. Hic vir videtur Poëta comicus, qui ſecum ipſe recitet ſua poëmata.

TABULA LXXXIII.

CAPUT OCTOGESIMUMTERTIUM.

NOnnullis ſaltatoribus ſuperius relatis graphidem hujus etiam ſaltatoris addere decrevi in gemma annulari inciſi, non ſolum ob ſaltationis modum non omnino vulgarem, ſed etiam ob peculiarem formam inſtrumenti muſici, quod Saltator ille ſiniſtra tenet. Nudus eſt, & ejus tantum operitur caput pileolo tenui, & ſtriato, & duo illius cacumina prominent, alterum ſupra frontem, ſupra cervicem alterum. Digitis ſiniſtri pedis totus innititur, pes vero dexter elevatus ſupra ſiniſtrum genu, quod eſt difficile factu. Thyrſum dextera regit in vertice ornatum foliis, & fructibus. Inſtrumentum muſicum, quod innuimus, innixum lateri ſiniſtro, uter videtur, cui annectitur fiſtula, qua inflatur; deſinit autem in tres majores tibias, quarum duæ inſtar cornu retortæ ſunt, altera vero tubæ ſimilis. In Bacchanalibus,

& menſe Majo quidam ruſtici, ut plurimum e Regno Neapolitano Urbem accedunt, eamque pervagantur tali inſtrumento utentes, quod etiam fit in aliis civitatibus, & regionibus, & præſertim in Etruria. Hi ruſtici hoc inſtrumentum inflantes ſimul incondite canunt, & ſaltant. Ejus uſus antiquiſſimus apparet. Hæc tibia utricularis vocabatur, inter tot tibiarum genera. Illius meminit Svetonius in Nerone cap. 54. *Sub exitu quidem vitæ palam voverat, ſi ſibi incolumis ſtatus permanſiſſet, proditurum ſe partæ victoriæ ludis etiam hydraulam, & choraulam, & utriculariam.* Hujus igitur Imperatoris ætate Utriculares in ludis publicis & ſolemnioribus locum habebant. Sed fortaſſe ante ipſum Neronem ab auctore carminis Virgilio attributi, cui carmini nomen Copa, hoc inſtrumentum recenſetur. Dicit enim:

Copa Syriſca caput Graja redimita mitella
Criſpum ſub crotalo docta movere latus;
Ebria formoſa ſaltat laſciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Ultimum carmen nulli interpretantur de quodam crotali genere, de quo Suidas ait in V. Κρόταλον. *Crepitaculum proprie calamus fiſſus, & ſtudioſe comparatus, ut ſonet, ſi quis manu pulſet, quaſi plauſum efficiens*; & forte hujus generis crotalum deſignant illi, quos in manibus ſaltatores tenent, bacilli, ut vidimus in Tab. IX. In Epiſtola ad Dardanum, quæ B. Hieronymo tribuitur, tibia utricularis ita deſcribitur: *Antiquis temporibus fuit chorus quoque ſimplex, pellis cum duabus cicutis æreis, & per primam inſpiratur, ſecunda vocem emittit.* Pellis hæc nil aliud erat, quam uter humano ventriculo ſimilis, ut ait Bartholinus De tibiis veterum lib. 3. c. 7. his verbis: *Hujus tibiæ forma inde elucet, quod illi ventriculum humanum figuræ ſimilitudine comparent Anatomici.* Hujus uſum enarrans idem Scriptor ſubdit: *Uſus autem talis fuit, ut quoties ſonus eliciendus eſſet, deberent Utricularii inflare utrem, & retinere manu calamos, & preſſum utrem cubito quatere, ita ut calami vibrarentur ex jactatione aſſidua.* Neſcio an ſibi velit etiam innuere tibiarum foramina digitis per vices aperiri, & clau-

Digitized by Google



Terra cotta





Digitized by Google

claudi, & an una eſſet, ut in Hieronymi loco allato, vel plures tibiæ; quæ ſi hìc tres ſunt, fortaſſe tractu temporis potuerunt in hunc numerum excreſcere, & ſi æreæ erant, in ligneas evadere. Hoc non prætermittam, minori in pretio habitum fuiſſe hoc inſtrumentum, quam tibia ſimplex, vel ſaltem illud decurſu temporis accidit; nam Martialis libr. 10. epigr. 3. ait, Canum, qui tibia tam egregie canebat, ut Galbæ carus eſſet, nullo modo Utricularem eſſe voluiſſe, vel aſcaulem, ut Græce loquebantur:

Credis hoc, Priſce,
Voce ut loquatur pſittacus coturnicis?
Et concupiſcat eſſe Canus aſcaules?

Quum autem pauci, & paucis verbis hoc inſtrumentum deſcripſerint, eo rarior eſt hæc gemma, in qua tam clare illud apparet,& alibi id nunquam viderim. Hæc autem anno 1735. in antiquis urbis Signiæ ruinis reperta fuit. Ibi autem, quod eſſet ſitu munitiſſima civitas, Romani ſuos carcere coërcebant captivos, eamque Quatuorviri gubernabant, ut patet ex inſcriptione apud Gruterum, & Fabrettum pag. 464. Ex ea vero multi prodiere illuſtres viri.

Alteram graphidem hujus tabulæ ex gemma inciſa eruendam curavi, quam Dominicus Landius antiquarum rerum amans, & eruditus ſibi comparavit. Hæc Larvam refert ſimilem illis ſervis, qui in Terentio Vaticano delineati ſunt, ſeu ejus vultum, ſeu corporis ſtatum, ſeu brevem tuniculam ſpectes.

TABULA LXXXIV.

CAPUT OCTOGESIMUMQUARTUM.

NE tædio afficiam lectores, aliis prætermiſſis, quæ apud me ſunt, antiquis monumentis ad ludos ſcenicos ſpectantibus, anaglyphum ex argilla, & duas Larvas hic addam pro hujus operis coronide, una cum hoc anaglypho. Typus ipſius repertus eſt, ut manifeſte appareat ſepulcra Etruſca, lucernas, ac alia id genus opera ex argilla typis,

typis, ſeu formis confici conſueviſſe, ut facilius multiplicarentur. Hic autem noſter factus eſt inſtar ſacelli, ſuperne in modum hemicycli efformati, & encarpio ex foliis quernis, tribuſque roſis contexto circumdatur. In eo adſident quatuor perſonæ, prima quarum puellus eſt, qui duabus tybiis canit, ſtipiti hujus ſacelli innixus, qui ſtipes aliquantulum exporrectus, & crure cujuſdam beſtiæ ſuffultus ſedem puello præbet, qui pede dextero innititur ſcabello. In adverſo latere juvenis adeſt ingenua forma diſcumbens ſuper ſcimpodio, quod lecti genus erat, qui unum tantum hominem capiebat. Non autem tales erant lecti conviviales, nam hi trium hominum capaces erant, ut plurimum. Scimpodium genus erat lectuli diſcubitorii, cuius uſus apud nos nunc quoque viget, ac in eo quieſcimus aliquando, ut poſtmeridianum ſomnum capiamus. In medio ſedent duæ mulieres, quarum una poſt aram, ſeu menſam pedes habet, alterius vero pedes in terra ſunt innixi. Ambæ videntur non menſæ accumbere, ſed ſedere, an vero in lecto illo diſcubitorio, vel in ſcamno ſeparato, neſcio, nam ex graphide non bene apparet. Fortaſſe tempus illud indicatur, quo Romanæ mulieres menſæ aſſidebant, ut ait Mercurialis De arte Gymnaſtica libr. 1. cap. XI. pag. 63. *Tempore majoris Scipionis, ac Plauti creſcente paullatim balneorum uſu, hujuſcemodi quoque accubitus incrementum præſertim apud Romanos cepit, neque tamen multum, quando ſcilicet viri tantum, & non mulieres, ut Vitruvius, Valerius Maximus, & Iſidorus teſtantur ex Varrone, accumbebant.* Addit idem Auctor, quod a tempore magni Pompeii uſque ad Galenum, atque etiam Conſtantinum *omnes fere, atque etiam mulieres cœnantes accumbebant.* Præterea ſubdit: *Apud Romanos diverſo ſitu mulieres a viris accumbentes cœnaſſe rationi conſentaneum eſt*, atque id ob honeſtatem & decus, & quia ita in antiquis marmoribus apparet, *in quibus mulieres cum viris accumbentes repræſentantur illæ Certe figura quadam ab iis diverſa, quaſique ſedentes, & nulli alteri rei cubitis innixæ accumbentes, & edentes conſpiciuntur.* Quod multum ad rem noſtram facit.

Puer,

Puer, qui duas inflat tibias retortas nullam habet veſtem præter rotunda ſubligacula, ceteri vero videntur intenti auſcultare tibiarum ſonum. Quid autem hoc totum ſignificet, neſcio. Hæc fortaſſe celebritas nuptiarum eſt, quod innuere videntur & tibiarum ſonitus, & mulier capite velato, & ætate gravis, quæ pronuba eſſe poteſt, & ſponſus & ſponſa licenter nimis veſtiti. Sed quia hoc anaglyphum repertum eſt in Columbario, in mentem mihi venit, an ſit cœna funebris, qualis apparet in fronte urnæ ſepulcralis Marci Ulpii, quæ exſtat in Muſeo Kircheriano, vel quoddam ſacrificium factum Genio viri diſcumbentis in Scimpodio, ac craterem manu tenentis, quaſi vivus adhuc eſſet, quamvis jam defunctus. Hanc conjecturam confirmat ara illa inſtar tripodis libis onerata, ac mulierum ſilentium, quod mœſtitiam denotat, & præcipue triſtis illa apparet, quæ manus ſuperimponit, quod doloris eſt inditium, forte ob amiſſum ſponſum. Tibiæ autem & in ſacrificiis, & in funeribus in uſu erant, unde Ovidius in 6. Faſtorum.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœſtis tibia funeribus.

In eodem muſeo adeſt anaglyphum marmoreum, in quo excuſa eſt mulier animam exalans ſuper ſcimpodium decumbens, ad cujus pedes duo adſunt tibiis canentes, quarum altera longa eſt, altera vero obtorta, cum hac epigraphe. MORITUR. Nihil tamen adfirmo, nam forte hæ conjecturæ antiquis illis viris riſum moverent, ſicut enim illi ſi noſtrorum inſtrumentorum uſum vellent explicare, a vero longe aberrarent, ita nos quum de illorum inſtrumentis judicamus. Sed ut ad rem redeam, anaglyphum hoc inventum eſt in columbario diruto, circa annum 1735. detecto in via Latina, ad cujus latera adhuc exſtant ruinæ cubiculorum ſepulcralium, quæ antiquitus admodum magnifica extruebantur in hac via, ut ait Juvenalis Sat. 5. v. 55.

Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ;

& Sat. 1. v. 170. quum mores aliquorum mordere vellet, ut invidiam declinaret, non de vivis, ſed de mortuis loqui, qui in via Latina & Flaminia ſepulti erant:

Ex-

Digitized by Google

. . . . *Experiar quid concedatur in illos ,*
Quorum Flaminia tegitur cinis , atque Latina

Quæ viæ, ceteræque Conſulares plenæ erant monumentorum illuſtrium familiarum , idque per ſexdecim millia paſſuum , ut demonſtravi pag. *61*. mearum animadverſionum ad Diarium Italicum Cl. Viri P. Montfauconii ; & hoc etiam in via Appia erat uſque ad antiquam Ariciam , ut apparet in Diſſertatione mea de Bulla aurea pag. 34. In eodem Columbario inventa eſt larva muliebris , cujus graphidem in hac eadem Tabula 84. adponimus , quæ præcipua animadverſione digna eſt ob ornatum , qui inſtar coronæ radiatæ caput circumdat , & ſub quo circa genas tres excurrunt obtorti capillorum ductus . An hæc ſit mulier quædam barbara , & fortaſſe e Thracia non auſim adfirmare . Verum in eodem Columbario hanc inveni inſcriptionem :

D. M.
Q. ARRVNTIO . AQVILAE
MAN. P. VI. OPE . NAT.
BESSVS . MIL. ANN. IX.
VIX. ANNIS XXX.
C. CASSIVS CENSORINVS
FRATER . ET . H. B. M. F.

Hinc Quintus Aruntius Manipularius primus , ſeu navis Prætoriæ ſex remorum , Ope nuncupatæ , miles forte erat , nam paſſim tales milites in inſcriptionibus reperiuntur nominati , qui in navibus trium vel quatuor remorum navali militiæ operam dabant , quorum remorum numerus his notis deſignabatur III. ſeu IV. atque naves hujuſmodi Trieres , vel Quadrieres appellabantur , ut patet ex collectionibus inſcriptionum antiquarum . Videſis inſcriptiones Etruſcas eruditiſſimi Ant. F. Gorii pag. 125.Tom. 1. Multæ etiam pertinent ad ludos , & exprimunt nomen Deorum, quibus navis dicata erat.Vide quoque Cl.V. Fabrettum in Inſcriptionibus, & in Columna Trajana pag.114. & 115.ubi mentio facta eſt Caii Senii Severi Manipularis , navis Trieris , & Numinis , cui illa dicata erat , qui Caius natione Beſſus apud Getas fuit , de quibus Ovidius de Ponto :

Vi-

Digitized by Google

Vivere quam miſerum eſt inter Beſſoſque Getaſque

Ultima hujus Tabulæ Larva comam habet peculiari forma comptam, & crines retortos, & os in modum conchylii efformatum, frontemque & cilia ita detorta, ut medium naſum tegant. Hæc Larva inventa eſt in ſepulcro, ſeu Mauſoleo Libertorum Familiæ Luci Aruntii (qui conſulatum aſſequutus eſt tempore Tiberii) cum inſcriptione, quam ſupra retulimus, lapide Tiburtino inciſam. Hoc autem ſepulcrum detectum eſt circa annum 1735. in viæ Prænestinæ principio, quod a me delineatum fuit, ut publici juris facerem una cum peculiaribus cubiculis, ac eorum ornamentis, & inſcriptionibus, quæ parieti infixæ erant ſub ollis. Interim tamen unam hic damus:

D. M. SVCCESSI . PRIGENIA . SOR
FECIT . FRATRI . BENEMERENTI
ET PIISSIMO ✶ER. VII. ANNIS
EGO
LAMEATALE PEREGI NVNC
RAPI
OR. TENEBRIS . ET . TEGIT
OSSA . LAP.
DESINE SOROR. ME IAM. FLERE
SEPULCRO HOC ETENIM
MULTIS
REGIBUS ORA TVLIT

Alteram etiam adponimus erutam in villa D. Marchionis Nari extra Portam Salariam, in qua villa nonnulla detecta ſunt columbaria cum ollis, & inſcriptionibus defunctorum.

Digitized by Google

OCTAVIA . L, ET . ƆL. ARBVSCVLA
V. A. XXIII. ET . MENSES . X.
TVCCIA . ƆL. MATER . EIVS
TERMIVS . EST . VITAE . NOSTRAE
TERTIVS . ET . VICENSIMVS
AMNVS . CVM . ME . FLORENTEM
MEI . COMBVSSERE . PARENTES
VIX . EGO . DVM . LICVIT
SVPERIS . ACCEPTIOR . VNA
QVOI . MEMO . POTVIT . VERBIS
MALEDICERE . ACERBO
CRVDELE . PATER . FVNVS . NATI
VIDISSE . VIDERIS
ET . PIA . COMPLEXV . MATER
SPOLIATA . SENESCENS
ATTV . DVLCIS . SOROR . EXTINCTO
ME . SOLARE . PARENTES
CRVDELIS . PLVTON . NIMIO .
SAEVITER . RAPINAE
PARCE . PRECOR . NOSTRAM . IAM
LACERARE . DOMVM
TE . LAPSIS . OBTESTOR . LEVITER
SVPER . OSSA . RESIDAS
NE . NOSTRO . DOLEAT . CONDITVS
OFFICIO
DESINE . IAM . FRVSTRA . MATER
MEA . DESINE . FLETV TE
MISERAM . TOTOS . EXAGITARE
DIES
NAMQVE . DOLOR . TALIS . NON
NVNC . TIBI . CONTIGIT . VNI
HAEC . EADEM . ET . MAGNIS
REGIBVS . ACCIDERVNT .

TA-

Digitized by Google



IN CORNIOLA

Digitized by Google

TABULA LXXXV.

CAPVT OCTOGESIMUMQUINTUM.

IN hac tabula expreſſa eſt mulier nuda uſque ad coxendices, ſedens ſuper baſim rotundam, quæ columellæ ſimilis eſt, & ſuper eam etiam ſiniſtra manu innititur. Hæc videtur mulier comicæ arti ſtudens, nec officit feminudam eſſe, nam hæc licentia, nimis quidem proterva, in theatris uſum habebat. Notandus eſt capitis ejus ornatus & capilli peculiari modo contorti, ac inter calanticam nodati & commiſti. Dextera manu larvam tenet ſuſpenſam extima calanticæ parte comprehenſa, quæ larva peculiari itidem comæ ornatu ſpectanda eſt. Pone hanc mulierem pedum apparet in extremitate contortum, cui bulla circa medium inhæret. Nonnullæ aliæ mulieres Tab. 37. 38. 39. & 41. larvas manu apprehenſas contemplantur, & nonnullæ pariter pedum geſtant, ſed abſque ea bulla, quæ fortaſſe hic addita eſt, ut nobilius redderet pedum, alioquin ruſticum, & paſtoritium inſtrumentum.

Dum hæc typis mandantur, erudititſſimus Gorius ad nos miſit vol. 2. Symbolarum literariarum, in quo pag. 149. Auctarium *ipſius exſtat ad diſceptationem* De locatoribus Scenicorum *editam a Dominico Georgio. Hoc autem Mantiſſæ vice fungi poteſt ad hanc totam de Larvis, ſeu Perſonis ſcenicis tractationem. In eo enim de Locatoribus ſcenicis, de Procuratore ſcenicorum, de Archimimis, de Stupidis, & Maccis, de Redemptore ſcenicorum, de Rogatore, & Deſignatore, de Mimis,* & *Pantomimis, de Paraſitis, de Hiſtrionibus, de honoribus, præmiis, muneribus, dignitatibus, divitiis in comicos collatis recondita eruditione diſſeritur, ac omnia nova luce illuſtrantur. Item feminas Mimas, & Archimimas, & Corpora, & Collegia Scenicorum, & Scabillariorum recenſentur; & Pantomimi aheneum ſignum numquam editum adfertur, quæ omnia hic libenter congeſſiſſem, ni ſemper alienus fuiſſem ab alienis ſcriniis expilandis.*

Digitized by Google

INDEX RERUM

A

ACtores ſcenici quo pedum ornatu in ſcenam prodire ſolerent. pag. 25. purpura ut plurimum induti. 53. Principibus viris adprime cari. 36. ingenti donorum copia affecti. 58.
Afris quare crines criſpati. 97.
Amasis Rex animum poſt ſeviores curas reficere ſolitus. 96.
Apollinis Delii ara ex cornibus compacta. 86.

B

BAcchanalia Martio menſe celebrari ſolita. 99.
Bacchanaliorum licentia. 32.
Basilicæ SS. Cæſarii, & Xiſti olim extra Urbis muros poſitæ. 10.

C

CAlanticæ uſus apud mulieres Veliternenſes. 45.
Calliope Muſa heroico carmini præſidens. 74.
Capillorum cultura, qualis apub Parthos, Germanos, & Scythas. 84.
Choros quæ perſonæ componeren. 39.
Chrysostomus Scarfò laudatus. 73.
Clemens PP. XII. laudatus. 66. 95.
Comoediarum primordia. 5. 59.
Comici in Collegia diſtincti. 34.
Comicorum celeberrimi Stratocles & Demetrius. 53.
Comicis ſenilem, vel juvenilem perſonam repræſentantibus quæ veſtis tributa. 53.
Ccmicorum frequentia, ac varietas Romæ. 41.
Commodator veſtium ad ſcenicos uſus *Rogator* nuncupatus. 76.

Cro-

CROTALI vulgo *nacchere* inſtrumentum antiquiſſimum . 24.

D

DELPHINUS muſicæ amator . 101.
DEORUM Ægyptiorum ſimulacra ex trunco mali perſici eſſicta . 65.
DONARIA in defunctorum monumentis ſæpe concluſa . 57.

E

EMBOLIARIA ejuſque etlrymon . 37.
EURIPIDES tragœdias ſcripturus ſpeluncas petebat . 55.

F

FEMINÆ quoque Pantomimicæ arti deditæ . 100.
FLAGELLORUM materies . 12.
FLAGELLORUM pœna ceteris vilior . 12.
FORUM Cæſaris prope Viam ſacram . 10.

G

GORIANÆ inſcriptiones . 36. 80.
GORIUS Antonius Franciſcus laudatus . 80. 103.
GRUTERIANÆ inſcriptiones . 9. 28. 31. 52. 70. 81. 87. 104.

H

HISTRIONUM celeberrimi Auguſti tempore Pylades , & Bathyllus . 18.
HISTRIONUM Larvæ terrificæ , & earom ornatus ut plurimum incomptus , 75.
HISTRIONUM nonnullorum impudica in ſcenam apparendi forma .

nia . 31. a temporum licentia permiſſa . 62. 105.

I

IGNATIUS Maria Como laudatus . 36.
INSCRIPTIO L. Val. Pudentis 9. M. Curii Eupor. *Tibiarii* . 15. C. Fuſii Smaragdi *Margaritarii* . 15. L. Furii Diomedis *Cælatoris*. 15. Juliæ Sedatæ. 19. Julii Bathylli. 20. Euphronis *Æditui* . 20. Septentrionis *Saltatoris* . 28. M. Aur. Agilii Septentrionis *Pantomimi*. 31. 42. L. Agilii *Archimimi* . 34. C. Jocondi *Saltatoris* , *&* *Cantoris* . 36. Vocontiæ *Emboliariæ* . 37. Præſidum comœdiarum. 52. P. Ceſenni. 66. P. Gavivi 67. M. Vipſanii Narciſſi 76. A. Poſtumii , & C. Coſſutii *Commodatorum veſtium ad comicos uſus* . 77. C. Mannei *Archimimi* . 80. L. Surredi *Proc. ab ſcena* . 82. M. Vulpii *Pantomimi* . 87. Pub. Etthuri, & C. Julii Cythiſi 89. M. Septimii Septimiani *Scabillariorum* . 104. C. Volcacii *Pugillaris* . 98. Reguli *Saltatoris* . 105. Q. Aruntii *Manipularii* . 112.
INTERMEZZI . Vide *Emboliaria* .

L

LAMIA quid . 73.
LARVARUM primordia . 4. 58. auctor . 4. materies . 4. 5. prima forma . 5. 39. earum formæ a Romanis hinc inde deſumptæ . 69.
LARVA quis Prior Romæ fuerit uſus . 5.
LARVÆ ad quid inventæ . 5. multoties ex ingenio efformatæ . 94. In Theatris . Conviviis , Triumphis , Bellis , & Deorum feſtis adhibitæ . 6. 7. 70. præſertim in ludis Bacchanalibus , 72. necnon in Funeribus . 27.
LARVÆ muliebres non ſtatim in ſcenam inductæ . 46.
LARVÆ ſerviles ab aliis diſformes . 59.
LARVÆ in ſarcophagis exculptæ quid indigitent . 60.
LARVÆ pueris timoris occaſio . 68.
LARVÆ Tragœdorum quæ . 96.

LAR-

Larvæ agreſtium perſonarum. 47. Tab. 26. 51. Tab. 30. Bacchi, ſeu alicujus Bacchi feſtis mancipati. p.30. T. 12. in Bacchanalibus adhibitæ p.72. T.50.72. T.51.94. T.71. 99. T.76. Bacchantis feminæ p. 43. T.22. bufonis p. 45. T.24. Calliopes p. 74. T. 53. Cupidinis p. 67. Tab. 46. Democriti pag. 48. Tab. 27. 28. bufonis pag. 73. Tab. 53. Fauni pag. 71. Tab. 50. famulæ pag. 43. Tab. 22. & 24. Helenæ pag. 73. Tab. 52. Heracliti pag. 49. Tab. 28. Heroinæ pag. 43. Tab. 22. Lunæ pag. 71. Tab. 50. Midæ pag. 85. Tab. 66. Minervæ; ſeu urbis Romæ pag. 20. Tab. 6. 46. Tab. 25. Numinis Marini pag. 69. Tab. 48. Pantomimi pag. 80. Tab. 59. Patrisfamilias pag. 44. Tab. 23. 45. Tab. 24. Perſonarum, quas dicimus *Giangurgoli* pag. 24. Tab. 8. *Gondolieri* pag. 52. Tab. 31. *Lazzari* pag. 69. Tab. 47. *Pantaloni* pag. 24. Tab. 8. 35. Tab. 16. *Ponſevere* 31. Tab. 13. *Pulcinella* pag. 26. Tab. 9. Perſonarum Orientalium, aliarumque exterarum nationum pag. 63. Tab. 41. 64. Tab. 47. 79. Tab. 64. & 65. Philoſophi, & unius ex ejus diſcipulis. 23. Tab. 7. Regiæ conditionis mulieris 44. Tab. 24. Sacerdotis Apollinis 48. Tab. 27. Saltatorum pag. 49. Tab. 29. Satyricæ pag. 36. Tab. 17. & 18. 62. Tab. 41. 72. Tab. 50. 75. Tab. 54. Scabillaris 88. Tab. 69. Senis planipedis pag. 58. Tab. 36. ſervorum pag. 54. Tab. 33. 58. Tab. 37. 71. Tab. 50. 73. Tab. 52. Silenicæ pag. 24. Tab. 8. 68. Tab. 47. 76. Tab. 55. Socratis pag. 39. & 40. Tab. 20. 80. Tab. 59. 82. Tab. 61. 101. Tab. 78. Thaliæ pag. 60. Tab. 37. 98. Tab. 74. Thraſonis, ſeu militis glorioſi. pag. 14. Tab. 3. Veritatis pag. 45. Tab. 24. 65. Tab. 44. Villici hominis 44. Tab. 23. Xantippes uxoris Socratis 82. Tab. 61. 100. Tab. 78.

Larvis quæ os ad formam conchylii effictum. 42.

Legionis xx. *Valerienſis* geſta, & laudes. 17.

Liberti tribubus urbanis adſcribi ſoliti. 10.

Lilius Petrus Paulus. 69.

Lokariorum munus. 11.

Ludi Lupercales obſcœniſſimi. 24.

Ludi Scenici Romæ quam alibi celebriores. 20. præſertim Auguſti ævo. 92. illis præſides, & curatores conſtituli. 52.

Lunæ cultus Romam ex Ægypto translatus. 71. ex varieta-

te

te Lunaris diſci Larvas inventas qui putent . ibi.
Lunares phaſes in ſcenam inductæ . ibi.

M

MANIÆ quid . 47. 74.
M OPHILIUS Hilarus comœdus extemplo mortuus. 54.
MALIIS virgis verberare pœna antiquiſſima . 12.
MIMI ſæpe in funeribus adhibiti . 54.
MOCCIUS Stephanus laudatus . 94.
MONUMENTA defunctorum obvia in viis latina, & Flaminia, ceteriſque Conſularibus . 111.
MULIERES quoque ſaltandi artem agebant . 27.

N

NERO Imp. ſcenicæ arti, ceteriſque gymnicis exercitationibus addictus, ob eaſque triumphum egit, ac numiſmata cudit . 21. 22.
NUMISMATA ad Heroum memoriam revocandam aliquando reſtituta . 76.

P

PANTOMIMI varias perſonas repræſentabant . 58.
PARASITORUM veſtis . 35.
PÆDAGOGI perſonam quis primum in ſcenam induxerit . 23.
PERSONÆ Etymon . 5.
PERSONAM Numinum induere in more apud Antiquos . 106.
PERSONÆ character in ſcena ſemper idem . 46.
POESIS in pagis primum orta . 2.
PRÆNESTE civitas; ejus accolæ in ſcenice arte celebres . 42. 44. 85.
PRÆTORIA ætas . 86.
PYLADES & Bathyllus Hiſtrionum celeberrimi . 18.

R

RANA avaritiæ ſymbolum . 56.
RECITANTIBUS Judices aſſignati, & præmia propoſita .

Recitantium ornatus . ibi .
Recitare quibus permiſſum . ibi .
Recitationi locus , & tempus . 9.
Rogator *a ſcena* quid ſibi velit . 77.
Romanibus civibus , quin etiam equitidus in ſcenam ap parere mos fuit . 63.

S

Saltationes . geſtuſque inhoneſti a Nerone in ſcenam inducti . 27.
Saltatores cur in ſepulcralibus lucernis effictí . 25. eorum Larvæ . 49. Tab. 29. .
Saltatorum ſui temporis celeberrimi Cajus Jocundus . 35. Pylades , & Ilas . 50. ex feminis Timeles . 67.
Sapientiæ ſymbolum ex Larvis Palladis , Socratis , Alcibiadis , ſeu Horatii , Platonis , & Carneadis ſimul junctis conflatum . pag. 50. Tab. 30.
Scabillares collegio diſtincti . 88.
Scabillorum deſcriptio . 88. & ſeq. Tab. 80.
Scenicæ exercitationes , Hiſtrioneſque maxime Auguſto in deliciis . 18.
Scenicæ exercitationes e ſolo ad plauſtra evectæ . 4. 5.
Scimpodium quid . 110.
Servorum veſtis . 38.
Socratis perſona ſæpe in ſcenam inducta . 39. ejus eximia animi moderatio . 39. 40.

T

Tibia uiricularis antiquitas , forma , eamque inflandi modus . 108.
Tibias in theatris inflare mos vetuſtiſſimus . 14. 15. & jam in funeribus . 15. 111.
Teatrorum incunabula . 7.
Tibicinum veſtis . 63.
Tragoediæ origo , & inventor . 4.

Tri-

Tribus urbanæ ruſticis tribubus minus nobiles. 10.

V

Venuti fratres laudati. 105.
Veritatis ſymbolum. 65.
Vestium, quibus Comici ornarentur, commodandarum uſus. 76.
Vir ſacra in Urbe ceteris celebrior. 15.
Vir *ſacra*, an *Sacra via* dicendum. 15.
Vindemiarum celebritas. 3. 59.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005648084